Herrn Professor
J. Vahlen
empfiehlt sich
in dankbarer Verehrung
der Verfasser.

DE CYCLO EPICO QUAESTIONES SELECTAE

I.

COMMENTATIO ACADEMICA.

SCRIPSIT ET PERMISSU AMPL. ORD. PHILOS. UPSAL.

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

IN PUBLICO DEFENDET

LENNART KJELLBERG

LIC. PHIL. NAT. VERMEL.

IN AUDITORIO IV A. D. IV KAL. IUN. MDCCCLXXXX

H. A. M. S.

UPSALIAE MDCCCLXXXX
TYPIS DESCRIPSIT ALMQVIST & WIKSELLS A.-B.

Tria folia priora typis
descripsit Almqvist & Wiksells A.-B.

MATRIS CARISSIMAE

PIAE MEMORIAE

SACRUM.

Iam nunc hunc libellum publici iuris fecisse, cum multa, quæ ad quæstiones hic tractatas pertinent, collecta et conquisita componere et diligenter persequi per temporum angustias mihi non licuerit, vehementer me poeniteat, si hoc quæstionum genus in posterum prorsus relinquendum mihi sit. Spero tamen fore, ut in iis, quæ ad monumenta antiqua et artes Græcorum spectant, studiis perseverare, et quæ mihi videor eruisse de vasorum illis picturis duos heroas latrunculis vel tesseris ludentes exhibentibus, ex quibus unam modo, ambiguam et obscuram illam quidem, hic tractavi, post breve tempus in medium proferre liceat.

Iucundum mihi est officium *Carolo Robert,* præceptori meo, viro doctissimo, cuius semper memoriam summa pietate prosequar, gratias hic agere quam maximas, quod, qua est humanitate et benevolentia, consilio et opera mea studia adiuvit.

Neque Enar Sahlin nec Samuel Wide, amicissimi mei, viri præstantissimi, quorum me uti familiaritate gaudeo, quanta me adiuverint comitate et liberalitate in erroribus typothetarum investigandis et corrigendis alter, alter autem in rebus, quæ ad ipsam disputationem pertinent, cum abessem, expediendis, umquam obliviscar.

I.

Animadvertit iam Bartholdus Georgius Niebuhr (Kleine historische und philologische Schriften II: p. 130) cyclicos quos dicunt Graecorum epicos a tragicis poëtis de populi animis expulsos esse.[1]) Hos enim argumenta fabularum ex illorum carminibus magnam partem hausisse et moribus ingeniisque heroum, quos in scenam inducebant, suo iure commutandis vel accuratius exprimendis diligentiusque circumscribendis in usum consiliorum suorum saepissime vertisse constat.[2]) Cum de tribus principibus artis tragicae haec valeant, tum imprimis de Euripide, qui summo ingenio praeditus summaeque audaciae plenus ac Sophistarum novis sententiis opinionibusque penitus imbutus Graecas res fabulares exemplo eorum, quae mente excogitaverat, pro virili parte maxime formavit et in posterorum animis fixit.[3]) Quid? comici illi Siculi, Epicharmus, Phormis[4]), Dinolochus et Cratinus Atheniensis nonne in iocum et irrisionem vetustas fabulas deducendo vitas heroum et res gestas, quales antiquitus traditae erant, oblivione in dies magis obruerunt.[5]) Quae cum ita sint, ante Alexandrinos grammaticos in omnium ore et usu iam non fuisse illa poemata, quis est qui miretur? Haud iudicio

---

1) Welcker, Ep. Cycl.² II: p. 65 sqq.; Robert, Bild und Lied p. 231; von Wilamowitz-Moellendorff, Hom. Untersuchungen p. 364.

2) Grote, History of Greece.² I: p. 366; Niese, Entwickel. der Hom. Poesie p. 231; v. Wilamowitz, Euripides' Heracles I: p. 113 sqq Sittl, Gesch. der Griech. Literatur I: p. 169; Luckenbach, Über das Verhältnis der griech. Vasenb. zu den Ged. des ep. Cycl. (Jahrb. für Phil. Suppl. XI: p. 564).

3) Robert, l. l. p. 27 sq; Max. Mayer, Hermes, XX (1885): p. 103; Preller-Robert, Griech. Mythol. I: p. 17; v. Wilamowitz, Hermes XVII: p. 233.

4) Aristoteles, de arte poetica libr. cap. 5 p. 1449 b.

5) Mahaffy, Hermathena II: p. 27 sqq.

igitur suo vel arbitrio solum indulgentes in iis carminibus ingenii acumine et doctrina grammatica perscrutandis et percensendis vel obelo critico castigandis et coercendis prorsus nihil, quantum scimus, viri illi docti, de graecis literis tam bene meriti, sunt versati.[6])

Momenti etiam alicuius fuisse arbitror opinionem Aristotelis, quam de istis carminibus cum Homericis comparatis in libri, qui de arte poetica inscribitur, capite 23 p. 1459 a, 30 protulit summus ille et sagacissimus vir, qui literarum doctrinae fundamenta iecit. Nam scimus inter Aristotelem atque Alexandrinos grammaticos rationes quasdam et ingeniorum nonnullam propinquitatem intercessisse.[7]) Homerum enim prae ceteris divinum esse existimandum dicit Aristoteles, quod non totum bellum ab initio ad finem usque tractaverit, sed partem aliquam digressionibus internexis distinctam ornatamque sibi elegerit. Ceteros vero, velut qui Cypria carmina aut parvam Iliadem conscripserint, de uno heroe et uno tempore et una multiplici re poemata sua composuisse.[8]) Inde factum esse ut ex Iliade aut Odyssea una tantum vel duae tragoediae exstiterint, e Cypriis vero multae et ex Iliade parva plus octo, quarum nomina affert.

Cum isto iudicio Aristotelis negligentiaque grammaticorum et desiderio, quo populi animi tenebantur, decrescente epici Cycli carminum, ex quibus Troica illa, Thebaidem, Epigonos hic potissimum dicta volo, originem eorum Homericam, de qua magis magisque derogabatur, intimo et artissimo vinculo cohaerere mihi est persuasum. Ex illo loco de arte poetica libri colligere consentaneum est Aristotelem, Platonis secutum opinionem,[9]) Cypria carmina parvamque Iliadem Homero iam abiudicasse, cum prioribus saeculis

---

[6]) v. Wilamowitz, Hom. Unters. p. 368, Antigonos von Karystos p. 165; Robert, l. l. p. 145.

[7]) Sengebusch, Dissert. Hom. prior. p. 118.

[8]) Nitzsch, Beiträge zur Gesch. der ep. Poesie der Griechen, p 221 sqq.

[9]) Euthyphr. p. 12 A.; Sengebusch, Diss. Hom. prior. p. 126, poster. p. 14, p. 23; Theod. Heyne, De ratione quae Platoni cum poetis intercedit, qui ante eum floruerunt, p. 15 sqq.

omnia illa carmina ad Homerum auctorem vulgo relata fuisse suspicari liceat.[10])

Nuper Richardus Volkmann in progr. gymn. Jauer. a. 1884 ed. et Eduardus Hiller in Mus. Rhen. nov. ser. vol. XLII (1887): p. 324 sqq. hanc de Homero poeta heroico, ut ita dicam, generali sententiam refutare conati sunt. Cum mihi quidem duo illa Herodotea (II: 117, IV: 32), quantum ad Herodoti attinet tempora, nullis testibus adversantibus, ad eam quaestionem diiudicandam satis habeant persuadendi potestatis, ad ratiocinationem me iam convertam recensendam, qua viri illi docti nixi eam opinionem quasi falsam et temerariam praeeunte Gregorio Guilelmo Nitzsch[11]) ut profligarent, maxime studuerunt.

Primum testimonium Pausaniae est IX. 9, 5: ἐποιήθη δὲ ἐς τὸν πόλεμον τοῦτον καὶ ἔπη Θηβαΐς. τὰ δὲ ἔπη ταῦτα Καλλῖνος ἀφικόμενος αὐτῶν εἰς μνήμην ἔφησεν Ὅμηρον τὸν ποιήσαντα εἶναι. Καλλίνῳ δὲ πολλοί τε καὶ ἄξιοι λόγου κατὰ ταὐτὰ ἔγνωσαν. ἐγὼ δὲ τὴν ποίησιν ταύτην μετά γε Ἰλιάδα καὶ τὰ ἔπη τὰ ἐς Ὀδυσσέα ἐπαινῶ μάλιστα. Quid de hoc loco Eduardus Volkmann sibi persuaserit, non satis perspectum habeo. Sylburgi emendationem, quae est Καλλῖνος et Καλλίνῳ pro Καλαῖνος et Καλαίνῳ (vv. ll. Κάλαινος, Καλλαίνῳ, Καλλυΐνῳ), quae exhibent libri manuscripti, receperunt et Welcker et Bergk et recentiores Pausaniae editores. Davida Ruhnken Καλλίμαχον et Καλλιμάχῳ suspicantem optime refellit Welcker l. l. I. p. 185. Tum ita pergit Volkmann (p. 4): „Nun ist es freilich undenkbar, dass Kallinos in einer

---

[10]) F. A. Wolf, Proleg.² ad Hom. p. 95 sq.; Zoega, Abhandlungen p. 306 sqq.; Wilh. Müller, Hom. Vorschule² p. 140 sqq.; Welcker², l. l I: p. 123; Grote, History of Greece² II: p. 129 sq.; Bode, Gesch. der Hell. Dichtkunst I: p. 287; Sengebusch, Diss. Hom. post p. 14; E. Curtius, Griech. Gesch.⁶ I: p. 36; Bonitz, Ueber den Ursprung der Hom. Gedichte⁵ p. 11; K. Otfr. Müller, Gesch. der Griech. Liter.³ I: p. 105; Christ, Homer oder Homeriden p. 5, Griech. Liter.-Gesch. p. 57; v. Wilamowitz, l. l. p. 351; Bergk, Griech. Liter.-Gesch. I: p. 501, 507, 510, II: p 30; Mahaffy, History of class. greek liter.² I: p. 30; Holm, Griech. Gesch. I: p. 199; Preller-Robert, l. l. I: p. 15.

[11]) Hist. Hom. I: p. 107.

Elegie bei gelegentlicher Erwähnung der Thebais gesagt haben sollte, es sei dies ein Gedicht des Homer. Deshalb wollte ja auch Franke, Callinus p. 24, nicht an den Elegiendichter, sondern an den bei Diogenes Laertius erwähnten Peripatetiker Kallinus denken. Wohl aber kann der Elegiker Kallinus die Thebais ohne weiteres als ein homerisches Gedicht bezeichnet und citirt haben, und dieser Umstand würde sich mit der manchmal recht wunderlichen Ausdrucksweise des Pausanias auch vertragen." Si Callinus Thebaidem carmen Homericum re vera nominavit, nonne Homerum eius auctorem fuisse duxit? Hoc concesso, quid est, cur Callino teste Thebaidis Homericae pristinis saeculis vulgo traditae originis uti nobis non liceat? Pergit tamen Volkmann sic: „Oder er hat, wie dies Welcker, Ep. Cycl. I: s. 186, meint, der Thebais oder eines Helden, eines Spruches daraus als Homerisch gedacht, die Pausanias, auch wenn das Gedicht nicht selbst genannt war, erkannte." Tanta literarum peritia, ut in carminibus amplissimis, quae diutissime abscondita ac neglecta iacuissent,[11]) multum volutatus esset, post Udalrici de Wilamowitz (Hermae XII. p. 344 sqq.) et Kalkmanni (Pausanias der Perieget, Berol. 1886) quaestiones praestantissimas Pausaniae scribendi mores recte demonstrantes ei tribuenda iam non sit. Laudavit Richardus Volkmann deinde certamen quod vocatur Homeri et Hesiodi, cuius scriptorem Pausaniae paene aequalem fuisse coniciunt[12]) (p. 247 Rzach): Ὁ δ Ὅμηρος ἀποτυχὼν τῆς νίκης περιερχόμενος ἔλεγε τὰ ποιήματα πρῶτον μὲν τὴν Θηβαΐδα — εἶτα Ἐπιγόνους — φασὶ γάρ τινες καὶ ταῦτα Ὁμήρου εἶναι eo, ni fallor, consilio, ut Pausaniae illa Καλλίνῳ δὲ πολλοί τε καὶ ἄξιοι λόγου κατὰ ταὐτὰ ἔγνωσαν moderaretur. Mihi quidem hi duo loci documento sunt antiquam illam et vulgarem opinionem de Thebaidis origine Homerica usque ad Pausaniae tempus per tot saecula servatam et propagatam esse. Monendum mihi hoc etiam esse videtur prater Homeri nomen nullum aliud nec Thebaidis nec Epigonorum scriptori exstitisse. Quae res satis manifesto ostendit, quam penitus in mentibus populi defixa haeserit illa opinio Homerum auctorem fuisse eorum

---

[11]) Wilamowitz, l. l. p. 368, Robert, l. l. p. 231.

[12]) Sengebusch, Dissert. Hom. prior. p. 10.

carminum, contra quam nullum a grammaticis commemoratum nomen inveterascere potuerit. De illo loco (Paus. IX. 9, 5) quaestiunculam Volkmann his verbis absolvit: Wir sind aus der uns jetzt erhaltenen Literatur nicht einen einzigen zu nennen im Stande, der dies gethan hätte, i. e. qui disertis verbis Homerum auctorem epici cycli profiteretur. Non mirum sane. Nam non opus erat priscis temporibus rem omnibus tam cognitam et omnino non ambiguam multis verbis commemorare; postea autem apud grammaticos, qui talia tractabant, illa opinio certa et fixa iam non fuit, sed in dubitationem potius saepissime vocata.

Eduardus Hiller (l. l. p. 324) Pausaniae ipsius amplificandi studio verba illa, quae sunt πολλοί τε καὶ ἄξιοι λόγου, attribuit, cum Pausaniae auctorem potius τινὰς scripsisse opinetur, certaminis Homeri et Hesiodi iam citata verba testimonii loco adhibens. Non plane absurda et absona ea est suspicio, sed tamen plus, quam par est, coniciendi libidini debetur. Nimis est enim incerta et vana, ut ad quaestionem, quam hic agimus, explicandam ne minime quidem proficiat. Quod ad rem ipsam spectet, hoc fere modo illam Homeri apud Pausaniam mentionem natam esse mente cogitavit Hiller nihil tamen pro certo affirmare ausus. Callinum Homerum auctorem cuiusvis belli Thebaici rei gestae induxisse, quarum et in Iliade et Odyssea multas commemoratas esse constaret. Nullum vero de his locis post Callinum fictum esse credit. Quamquam nonnulla, neque in Iliade neque in Odyssea reperta, Callinus adiunxisset, Homerum auctorem adhibere optime eum potuisse. Nam grammatici esse, non poetae tales minutias discernere et animadvertere. Tum grammaticum quendam, quoniam plurimae a Callino res narratae e Thebaide assumptae essent, eum Homerum auctorem appellando prodidisse se Homerum Thebaidem conscripsisse arbitrari. Eduardum Hiller ipsum hanc vitiorum seriem, Callini laudandi negligentiam dico et socordiam, deinde grammatici cuiusdam ignoti pravam colligendi rationem, tum Pausaniae nimium amplificandi studium, omnia ad nobis falsam sententiam iniciendam inter se conspirantia, non toto pectore amplexum esse e verbis modestissimis apparet, quibus hanc partem disputationis suae conclusit: „Es ist dies nicht mehr als eine Möglichkeit, aber eine Möglichkeit, die man, wie mir scheint, nicht ganz unberücksichtigt lassen darf“. Tota ea ratio-

cinatio solis suspicionibus neque satis probabilibus nixa, probatis rationibus mihi destitula videtur.

Hiller tum Herodoti locum V. 67 adgressus est, ubi Clisthenes, tyrannus Sicyonius, Ὁμήρεια ἔπη rhapsodis interdixisse narratur: Κλεισθένης γὰρ Ἀργείοισι πολεμήσας τοῦτο μὲν ῥαψωδοὺς ἔπαυσε ἐν Σικυῶνι ἀγωνίζεσθαι τῶν Ὁμηρείων ἐπέων εἵνεκεν, ὅτι Ἀργεῖοί τε καὶ Ἄργος τὰ πολλὰ πάντα ὑμνέαται, τοῦτο δέ, ἡρώιον γὰρ ἦν καὶ ἔστι ἐν αὐτῇ τῇ ἀγορῇ τῶν Σικυωνίων Ἀδρήστου τοῦ Ταλαοῦ, τοῦτον ἐπεθύμησε ὁ Κλεισθένης ἐόντα Ἀργεῖον ἐκβαλεῖν ἐκ τῆς χώρης.

Georgius Grote (History of Greece² II: p. 129), ea Ὁμήρεια ἔπη Thebaidem et Epigonos fuisse existimavit, quam opinionem iam Welcker[13]) (l. l. II: p. 474. n. 27) et Nitzsch (Sagenpoesie der Griechen p. 305 et Beiträge zur Gesch. d. ep. Poesie der Griechen p. 432, n. 148) impugnaverunt. Equidem rationes, quas contulit Grote, ad eam sententiam comprobandam satis validas et efficaces puto. Quod Friderici Welcker auctoritate obruta haec Georgi Grote opinio, ea, qua digna sit existimatione, destituta videtur, si Eduardi Hiller saltem disputationem respicias, qui Georgii Grote excellentissimam ratiocinationem ignorare videtur, e re mihi visum est, quae ad illud statuendum hunc clarissimum virum adduxerunt, singillatim hic denuo persequi.

Quod autem illa verba non ad Iliadem pertinere putat, prima haec eius est ratio quia Argi vix commemorentur neque praecipuis laudibus ibi usquam tollantur, Argivi vero ut solius Argolidis incolae illis Homeri temporibus prorsus ignoti fuerint, quoniam isto nomine in Iliade universi Graeci appellentur Tum Adrastum bis solum in Iliade Arionis, equi admirabilis, possessorem et Tydei socerum commemorari, nullas tamen eum partes agere. Quare, Clistheni quamvis Argis et Adrasto inimicissimus fuerit, tamen nullam causam fuisse prohibendi, quominus rhapsodi Iliadem recitaverint. Thebaidis vero et Epigonorum poemata ad eum vel maxime irritandum satis idonea fuisse. Etenim Argorum laudem et Argivorum res gestas eorum carminum argumentum fuisse, primum iam versum Thebaidis in

---

[13]) Quem locum inspiciens Udalricus de Wilamowitz, Hom. Unters. p. 352, istud Herodoteum de Thebaide solum aliquid dicere Fridericum G. Welcker comprobasse affirmaverit, mihi quidem non liquet.

libello supra laudato, qui certamen Homeri et Hesiodi inscribitur, nobis servatum: — Ἄργος ἄειδε, θεά πολυδίψιον, ἔνθεν ἄνακτες — luculentissime ostendere. Deinde considerantibus nobis Adrastum regem Argivorum et ducem belli fuisse, quod rhapsodi ad Thebaidis Epigonorumque imprimis poemata Sicyone recitanda inclinaverint non esse maxime admirandum. Nam Sicyone Adrastum heroico frui cultu et tanto populi favore florere, ut iisdem, quibus Dionysus, celebratus sit sollemnibus. Postremo Grote Clisthenis inceptum Melanippum Thebanum illum heroem Adrasto sufficiendi ad Thebaidem expeditionemque illam nobilissimam pertinuisse existimat. His causis commotus Ὁμήρεια ἔπη ab Herodoto memorata Thebaidem atque Epigonos potius quam Iliadem fuisse ratus est.

Quod ad hanc sententiam eum maxime impulerat, coniunctionem dico inter illud interdictum et Adrasti herois cultum Sicyone expulsum, Hiller prorsus praetermisit, in Herodoteis verbis laudandis sententiam mutilans. A verbo, quod est ὑμνέαται, proficiscens disputationem suam instituit. Hanc enim vocem non solum celebrandi significationem habere dicit verum etiam poetico usu de iis rebus, quae saepe et certa quadam vi dicantur, usurpari. Tamen Eduardi Hiller verba, quae sequuntur, mihi magnopere laboranti, ut, quid sibi vellent, perspicerem, plane obscura sunt. „Diese Bedeutung muss das Wort auch an unserer Herodot-Stelle haben. Denn wollte man es auf das Besingen und Lobpreisen des Staates Argos und der Thaten seiner Bewohner beziehen, so wäre bei dem geringeren Umfang von Thebais und Epigonen τὰ πολλὰ πάντα unsinnig, auch unter der Voraussetzung, dass diese beiden Dichtungen eingeschlossen seien. Nehmen wir aber die erstere Bedeutung an, so ergiebt die Stelle einen angemessenen Sinn, auch wenn wir sie auf Ilias und Odyssee einschränken". Qui fieri possit, ut ambitus carminum, de quibus hic agitur, ad vocabula quae sunt ὑμνέαται, quod, ut mea fert opinio, si ad totam sententiam spectas, laudibus celebrari hic optime interpreteris, et τὰ πολλὰ πάντα, quae, ni fallor, idem ac „plurimis locis vel saepissime" valent, recte interpretenda alicuius vel minimi sint momenti, equidem non intelligo.

Alterum ratiocinationis suae subsidium Eduardus Hiller a

ratione arithmetica, ut ita dicam, petivit, ex 48 Iliados et Odysseae rhapsodiis in 10 solum Argos vel Argivos non inveniri animadvertens. Quae ratio comprobandi parum placet in levissimis rebus tota versans. Quod autem ad hanc ratiocinationem confirmandam disseruit, illa vocabula apud Homerum plus quam postea comprehendisse, infirmat eam et plane diluit. Non enim putandum est Clisthenis temporibus hoc inter Homericos et recentes Argivos discrimen quemquam prudentem fugisse. Qua causa permotus verbum, quod est ὑμνεῖν, Iliadi et Odysseae melius convenire existimat quam iis carminibus, in quibus Argivorum ducum adversus Thebas irrita expeditio narrata fuerit. Hoc igitur loco vocabulo, quod est ὑμνεῖν, celebrandi et extollendi significationem, non sibi constans, (vide supra) tribuere videtur. At non recte sensit Hiller de expeditione illa calamitosa, tamquam absolutum fuerit id inceptum. Prima nimirum pars fuit belli illius, cuius altera, Thebis ab Argivis excisis, confecta tandem est. Hos duos actus, ut ita dicam, belli illius atrocis in populi animis inter se coniunctos fuisse fabula ipsa manifesto docet, filios prioris belli duces ultos esse memoriae tradens.

Ad extremum ut suam sententiam plus etiam corroboraret, epigramma quoddam Certamini Homeri et Hesiodi insertum, Hiller adhibuit his fere verbis: „Mit dieser Auffassung der Worte Herodots in bestem Einklange steht namentlich das Epigramm im Cert. Hom. et Hes. (p. 249 Rz.) angeblich auf einer dem Homer von den Argivern errichteten Statue: θεῖος Ὅμηρος ὅδ᾽ ἐστίν, ὃς Ἑλλάδα τὴν μεγάλαυχον Πᾶσαν ἐκόσμησεν καλλιεπεῖ σοφίῃ, Ἔξοχα δ᾽ Ἀργείους οἳ τὴν θεοτειχέα Τροίην Ἤρεψαν ποινὴν ἠυκόμου Ἑλένης. Οὗ χάριν ἔστησεν δῆμος μεγαλόπτολις αὐτὸν Ἐνθάδε καὶ τιμαῖς ἀμφέπει ἀθανάτων. Keinen anderen Grund hatte wohl auch die Behauptung, Homer sei ein Argiver gewesen, für welche in der Madrider Homer vita Philochoros angeführt wird; zu seinen Ehren wollen wir annehmen, dass er dieselbe bloss referiert und nicht geglaubt hat.“ Hoc non solum de Philochoro, sed etiam de Eduardo Hiller illud epigramma in medium proferente dicendum sit.

Hanc quaestionem relinquere non possum, quin sententiam egregiam E. Curtii de hoc loco in Historiæ suæ clarissimæ de Graecorum rebus scriptæ vol. I[6] p. 243 expositam afferam. Summam disputationis eius, quia rem, quam hic agimus, eximie in-

tellexit et suo more dilucide eleganterque tractavit, quasi ornamentum quoddam meo libello adiungam: „Es sollte mit der alten Zeit entschieden gebrochen, die Rückkehr zu ihr unmöglich gemacht werden. Deshalb wurden die Bande gelöst, welche Sikyon noch mit seiner dorischen Mutterstadt Argos vereinigten. Der mythische Vertreter dieser Vereinigung war Adrastos, dessen Feier an beiden Orten in glänzenden Bürgerfesten begangen wurden zum Andenken an die alte Waffenverbrüderung im Kampfe gegen Theben. Dadurch waren natürlich auch die alten Geschlechter der Stadt, die Adrastos als einen der Ihrigen ansahen, aufs Engste mit Argos verbunden. Deshalb wurde Adrastos durch einen Heros des feindlichen Heerlagers verdrängt, durch Melanippos aus Theben, den Vorkämpfer gegen die Verbündeten des Adrastos; thebanische Geschlechter wurden mit ihm in Sikyon eingebürgert, die alten Geschlechter der Stadt wanderten aus."

Eduardus Hiller ipse etiam hanc partem suae disputationis circumspecte sane et considerate, sed parum constanter his modestis verbis conclusit: „Mit diesen Bemerkungen soll die Möglichkeit, dass Herodot oder sein Gewährsmann unter den Ὁμήρεια ἔπεα nicht bloss Ilias und Odyssee verstanden habe, nicht in Abrede gestellt werden; aber beweisen lässt es sich nicht." Etiamsi verum sit hanc sententiam numquam certo probari posse, quod naturae et indoli ipsius quaestionis convenit, tamen, iis subsidiis, quae praesto sunt, ad aliquam verisimilitudinem adducenda et quam possumus diligentissime expedienda nobis est.

Sed ad disputationem Ricardi Volkmann redeamus, Simonidis fragmentum 53 (Bergk) ab Athenaeo IV 172 e. nobis traditum deinceps tractantis:

ὡς vel ὃς[14]) δουρὶ πάντας
νίκασε νέους ὑπὲρ δινάεντα βαλὼν Ἄναυρον
πολυβότρυος ἐξ Ἰωλκοῦ·
οὕτω γὰρ Ὅμηρος ἠδὲ Στασίχορος ἄεισε λαοῖς.

---

[14]) Lectionem, quae est ὡς, praebent cod. P. et V. (Bergk), ὅς vero cod. L. Theodorus Bergk, Poet. lyr. graec III: p. 413 illam lectionem, Georgius Kaibel in editione Teubneriana Athenaei (Lips. 1887) hanc recepit.

Quod Fridericus G. Welcker (Griech. Trag. I: 9 et Ep. Cycl. II: p. 330) Thebaidem iis verbis recte intellectis Homero adscribi posse suspicans ei omnino non persuasit, non est cur reprehendas. Illum tamen secuti sunt Greg. Guilelmus Nitzsch (Beiträge zur Geschichte der epischen Poesie der Griechen p. 215, n. 110) et Ludovicus Preller (Griechiche Mythologie II: p. 339). Contra Udalricus de Wilamowitz (Homerische Untersuchungen p. 352), quo in carmine Homerus eam rem tractaverit, pro certo et explorato esse negat; id solum contendit ad Iliadem et Odysseam non posse pertinere illud facinus.

Stesichoreum illud, quod Simonidi obversatum sit animo, ex carmine quodam Peliae ludos funebres celebrante sumptum etiam ab Athenaeo (IV 172 f.) servatum, haec habet:

θρῴσκων μὲν γὰρ Ἀμφιάραος, ἄκοντι δὲ νίκασεν Μελέαγρος.

De his locis Ricardus Volkmann ita disputat: „Man beachte, dass hier (i. e. in fragmento Stesichoreo) von einem Wurf über den Fluss Anauros und einem Besiegen gerade aller jungen Helden gar nichts steht, und wäre dies in den vorhergehenden oder folgenden Worten der Fall gewesen, so würde sie Athenaeus, vorausgesetzt, dass ihm das Gedicht des Stesichorus noch selbst zur Verfügung stand, wohl angeführt haben. (Si Athenaeo omnino est credendum, ἐν τῷ προκειμένῳ ᾄσματι exhibenti, de hac re non est dubitandum). Homer erwähnt nun Anauros-Fluss und das Besiegen der jungen Helden auch nicht, aber er lässt in Il. I: 529—599 durch Nestor den Meleager als einen der tapfersten Helden der Vorzeit preisen, dem Achill vergleichbar; dabei wird der Kalydonischen Jagd und des durch Meleager mit dem Speer erlegten Kalydonischen Ebers gedacht. Es ist wohl möglich, dass dem Simonides nichts weiter als diese Stelle der Ilias vorgeschwebt hat.“ Ex Simonidis igitur in Stesichorum laudando negligentia, quod inane est crimen, cum hic brevius eandem rem quam fusius et latius ille exposuerit, eadem in Homero laudando incuria usum esse Simonidem demonstrare studet. At inter Stesichorea illa et Iliadis adhibitum locum I: 529—599 id intercedere monendum est, quod Stesichorus sicut Simonides de ludis loquitur, Homerus autem talium rerum ne umbram quidem delineavit. An revera sibi persuasit Volkmann Simonidem duos auctores eiusdem rei ad ludos

manifesto pertinentis nuncupantem hanc eandem rem cum ἆθλων ἐπὶ Πελίᾳ a Stesichoro celebratorum tum venatus illius Calydonii ab Homero laudati partem fuisse arbitratum esse. Cum nulla exstent argumenta, non est statuendum Simonidem mentis et iudicii adeo expertem fuisse. Hac igitur disputatione nixus sententiam Sengebuschii (Homer. dissert. prior. p. 169) his fere verbis expositam: tale quid quum neque in Iliade neque in Odyssea legatur narratum de Meleagro, etiam Simonidem apparet praeter illa carmina duo vulgi opinionem secutum alia quaedam retulisse ad Homerum, hoc modo refutat: „Nun mit dem apparet, sollte ich meinen, hat es gute Wege, und zu dem Plural alia quaedam liegt gar kein Grund vor.“

Si ad Eduardi Hiller de ea quaestione disputatiunculam nos retulerimus, facile apparebit interpretationem Athenaei IV: 172 e supra explicatam non vehementer ei placere. „Für die bei Athenaeus“, inquit, „uns vorliegenden Worte, in denen οὕτω nur eine Beziehung auf den Speerwurf Meleagers zulässt, scheint mir diese Annahme nicht statthaft; für den Speerwurf jene Iliasstelle anzuführen, wäre geradezu falsch und verkehrt gewesen“. Sed tamen non minus inepta ipsius sententia mihi videtur, quippe quae plus iusto det divinandi et coniciendi copiae. Nam pergit ita: „Aber es ist wohl zu beachten, dass Meleagros, der ja in dem Fragmente nur mit ὅς bezeichnet ist, schon vorher bei Simonides erwähnt war. In welchem Zusammenhange er vorkam, wissen wir nicht: Schneidewins Hypothese, das Fragment gehöre einem Epinikion für einen Sieg im Pentathlon an, ist ganz unsicher und von Bergk mit Recht nicht wiederholt worden; was nöthigt uns denn also anzunehmen, dass dem Relativsatze nichts weiter als der Name des Meleagros vorhergegangen sei? Konnte nicht Simonides bei irgend welcher Veranlassung hingewiesen haben ‚auf Meleagros, des Oeneus' Sohn, den Erleger des verderbenbringenden Kalydonischen Ungethüms (Il. I: 543 ff.), den hochberühmten, starken Helden, mit dem es im Speerwurfe zu Iolkos niemand aufnehmen konnte‘. Gesteht man dies zu, so muss man auch einräumen, dass mit dieser Modifikation, die Richtigkeit von Volkmanns Ansicht zu bestreiten, kein Grund vorliegt. Denn οὕτω braucht sich hiernach nicht bloss auf den

letzten Relativsatz zu beziehen; Athenaeus aber oder sein Gewährsmann, dem es bloss auf Stesichoros' Ἆθλα ankam, hatte keine Veranlassung das Vorhergehende mit anzuführen". Tota ea ratiocinatio lectione, quae est ὅς, ut iam supra demonstravi, incertissima innititur. At etiamsi ὅς revera ab auctore scriptum fuisse sumamus, num statuendum nobis est vocabulum illud, quod est οὕτω, quoad Stesichorum spectet, ad proxima, quae exstant verba, pertinere, quod autem ad Homerum attineat, idem οὕτω priora nescio quae ab Eduardo Hiller exemplo Iliadis I: 543 sqq. commenta attingere. Non esse videtur haec opinio artis criticae sanae et integrae nec circumspecti iudicii.

Illis quidem rationibus, ut ad priorem disputationem redeamus, testimonia, quae ante Ol. 66,3 vel Hipparchi mortem cadunt, Ricardus Volkmann profligasse sibi videtur. Postea autem Pisistrati, quae vocatur, recensionem, cyclum quoque epicum complexam, factam esse opinatur. „Dass derselbe in voralexandrinischer Zeit als corpus poetarum epicorum, als σύνταξις oder πραγματεία existirt hat, ist eine literargeschichtliche Thatsache, die so fest steht, wie irgend eine. Es ist auch daran festzuhalten, dass derselbe unter Pisistratus durch Onomakritus und seine Genossen zusammengestellt ist, denn dasjenige, was neuerdings Comparetti, La commisione Omerica di Pisistrato e il ciclo epico Torin. 1881, gegen die Richtigkeit dieser Ueberlieferung vorgebracht hat, ist nicht stichhaltig". Verumtamen in hac disputatione, Annalibus italicis, quae Rivista di filologia e d' istruzione classica inscribuntur, ann. 1881 p. 539 inserta, id solum Comparetti ratiocinatione luculentissima et sagacissima usus contendit et ad summam verisimilitudinem perduxit apud anonymum de comoed. Anecd. Paris. Crameri illa verba criticorum emendandi studio saepe temptata sic fere esse legenda: καὶ κατ' [Ἀθηνόδωρον τὸν Κορδυλίωνα] ἐπίκλην, Ὀγκύλῳ. Hanc disputationem glossemate marginali cod. Paris. 2677 Ἀθηνοδώρῳ ἐπίκλην Κορδυλίωνι praebente sustentatam id quidem nobis commodi allaturam esse spero, ut Crameri emendatio spuriorum illorum verborum quae sunt καὶ καγ ἐπὶ κογκύλῳ, ἐπικὸν κύκλον vel ἐπικῷ κύκλῳ in medium proferentis, eam, quam hic agimus, quaestionem non amplius perturbet et confundat.

In istam editionem Pisistrateam inquirens haeret tamen Volk-

mann. Non enim ad certam et firmam opinionem perductus est, utrum Onomacritus, quem, ut iam supra dixi, epicum cyclum collegisse et composuisse existimat, Ὁμήρου ἐπικὸν κύκλον eum appellaverit necne. Neque sibi persuasit, quaenam ex his carminibus cum Iliade et Odyssea conflatis Homero ab ipso auctore corporis illius fuerint attributa. Ergo nonnulla saltem ab Homero condita esse Onomacritum ratum vult Volkmann. Cum vero satis locupletes testes de origine Homerica complurium ex illis carminibus habeamus, quorum alii Onomacriti aetate superiores, alii posteriores sunt, nulli autem scriptores neque priores neque aequales ei sententiae repugnent, si sibi consentaneus fuisset Volkmann, illa carmina cum Iliade et Odyssea in unum corpus Onomacritum coniunxisse faciens eum in illam vulgarem sui saeculi opinionem pedibus ivisse verisimillimum esse statuere debebat. Est tamen omnis ille de Onomacriti sociorumque eius studiis Homericis sermo nihil nisi commentum recentiorum grammaticorum ac scholastarum.[15]) Ne illa quidem de Pisistrati cura in Homerum collata sententia fundamentum tam stabile ac firmum in literis nobis traditis[16]), trabet quam profitetur Volkmann.

Deinde Volkmann suae ipsius sententiae parum convenienter (vide infra) hoc largitur: „Dass in der lokalen, volksthümlichen Ueberlieferung einzelner ionischer Städte und Landschaften das eine oder das andere der Gedichte des Troischen oder sonstiger Sagenkreise für homerisch ausgegeben wurde, soll nicht in Abrede gestellt werden“. Hanc igitur opinionem popularem et primariam fuisse arbitrantem concludere eum oportebat dubitationes et offensiones, quae contra illam vulgarem sententiam nata essent, cogitatione et doctrina in his rebus posita tum demum, cum ratio illa et omnia perscrutandi atque examinandi studium quinto a. Chr. n. saeculo apud Graecos apparuissent, ortas esse.

Pergit tum ita: „Deshalb muss man aber nicht gleich be-

---

[15]) Cf. Ud. de Wilamowitz, Homer. Unters. p. 254; Lehrs, De Aristarchi studiis Homericis[3] p. 445 sq.; Nutzhorn, Die Entstehungsweise der Hom. Gedichte p. 15 sqq.; Niese, Die Entwickelung der Hom. Poesie p. 5 sqq.

[16]) Lehrs, l. l. p. 438 sqq.; Ud. de Wilamowitz, l. l. p. 235; Flach, Peisistratos u. seine literarische Thätigkeit.

haupten, es sei dies die Meinung auch sämmtlicher gebildeten Griechen, auch der Dichter und Denker des Volks gewesen". Contra quae monitum velim poetas et philosophos iis, de quibus hic agitur, temporibus populares opiniones solitos esse amplecti in iis maxime rebus, quae ab ipsorum negotiis et studiis remotae et alienae essent. Nam interest sine dubio discrimen quoddam inter poetas philosophosque et grammaticos. Deinceps sic pergit: „Wäre dies der Fall gewesen, dann hätten sich gewiss nicht so bald nach dem Erscheinen des epischen Cyclus Stimmen gegen seine Echtheit vernehmen lassen. War aber der epische Cyclus einmal da, so konnten, da er Ilias und Odyssee, ausserdem Poesien enthielt, die in der sprachlichen Form und dem ganzen Ton der Erzählung den Homerischen Gedichten nahe kommen, unkritische Personen, auch wenn das Ganze nicht ausdrücklich als Homerisch bezeichnet war, leicht auf den Gedanken kommen, das ganze ihnen vorliegende Corpus als Homerische Poesie zu betrachten. Und das ist in der That der Fall gewesen".

Iam habes Ricardi Volkmann de hac quaestione opinionem diserte et dilucide expositam. Duabus est coniecturis fulta, quarum altera de editione Pisistrati Homerica valde incerta est, altera de cyclo epico ut istius editionis parte ne minimam quidem probabilitatis speciem prae se fert. Quomodo tamen hanc iam allatam sententiam cum illa paullo supra exposita, qua ad opinionem antiquitus a populo receptam Homericam famam nonnullorum ex illis poematis retulerat, ita coniungat, ut inter se cohaereant, ipse videat. Mihi quidem minime sibi constare videtur, cum duas rationes tam dissimiles tamque disparatas ad eandem rem explicandam promiscue utatur.

Iam Proclo in Chrestom. [cod. Marc. 454 fol. 1r] citato: „γέγραφε δὲ (Homerus) ποιήσεις δύο, Ἰλιάδα καὶ Ὀδύσσειαν, — οἱ μέντοι γε ἀρχαῖοι καὶ τὸν κύκλον ἀναφέρουσιν εἰς αὐτόν. προστιθέασι δὲ αὐτῷ καὶ παίγνιά τινα, Μαργίτην, βατραχομαχίαν ἢ μυομαχίαν, ἐπτάπεκτον αἶγα, Κέρκωπας καινούς, oder wie sonst der letzte Satz zu lesen ist", addit. Tum pergit: „Ebenso sagt Joh. Philoponus zu Arist. soph. el. I: 10, 2 vom Cyclus: ὁ ποίημα τινὲς μὲν εἰς ἑτέρους, τινὲς δὲ εἰς Ὅμηρον ἀναφέρουσιν. Auch Suidas erwähnt, wo er die dem Homer beigelegten aufzählt. unter ihnen den Cyklus. Wer

aber diese ἀρχαῖοι und τινές gewesen sind, bekommen wir nicht zu erfahren". Quod levioris esse momenti puto. Hoc nobis constare videtur priscis temporibus cycli epici poemata vulgo Homerica habita esse.

Transit Volkmann deinde ad eos, qui post Onomacritum fuerunt, scriptores examinandos. Atque sibi persuasit permultos eosque gravissimos testes, qui Homerum auctorem istorum carminum fuisse negent, nullum vero, qui illa eum confecisse affirmet, inveniri. Quibus rebus recte ponderatis et consideratis, id ni fallor, colligendum nobis est, opinionem, contra quam tanta vi pugnare necesse fuerit, vulgo hominum animis penitus haesisse.

Ut temporum rationem diligenter observem, de Pindaro primum agam. Ricardus Volkmann Cypriorum Pindarum credidisse Homerum auctorem fuisse concedit verisimillimum esse, Aeliani (Variae Historiae IX: 15 respiciens) haec verba: λέγεται δὲ κἀκεῖνο πρὸς τούτοις, ὅτι ἄρα ἀπορῶν ἐκδοῦναι τὴν θυγατέρα, ἔδωκεν αὐτῇ προῖκα ἔχειν τὰ ἔπη τὰ Κύπρια· καὶ ὁμολογεῖ τοῦτο Πίνδαρος. At inde illud colligendum esse negat Eduardus Hiller, Strabonis locum XIV: 638: Κρεώφυλος ὅν φασι δεξάμενον ξενίᾳ ποτὲ Ὅμηρον λαβεῖν δῶρον τὴν ἐπιγραφὴν τοῦ ποιήματος ὃ καλοῦσιν Οἰχαλίας ἅλωσιν comparans, quo appareat illud donum ius quoque auctorem se appellandi comprehendisse ex illa narratiuncula id sibi videtur suo iure concludere et Homerum et alium quendam Cypriorum perhibitos esse auctores, cuius nomen recentiores scriptores nobis servaverint: Phot. Bibl. p. 319, λέγει δὲ (Proklos) καὶ περί τινων Κυπρίων ποιημάτων, καὶ ὡς οἱ μὲν ταῦτα εἰς Στασῖνον ἀναφέρουσι Κύπριον, οἱ δὲ Ἡγησῖνον τὸν Σαλαμίνιον αὐτοῖς ἐπιγράφουσιν, οἱ δὲ Ὅμηρον· δοῦναι δὲ ὑπὲρ τῆς θυγατρὸς Στασίνῳ et Suidam v. Ὅμηρος: ἔσχεν υἱεῖς δύο καὶ θυγατέρα ἣν ἔγημε Στασῖνος ὁ Κύπριος. Illud Strabonianum nobis documento esse putat illam de dote filiae Homeri fabulam inde, quod Stasinus Cypriorum auctor nominatus sit, natam esse. Si haec recte disputata sint, ante Pindarum et Homero et Stasino Cyprio illud carmen adscriptum fuisse esse existimandum. Quaenam autem sententia plura puncta tulerit, in medio esse relinquendum. Ac ne illud quidem, ad utram sententiam Pindarus inclinaverit, nobis esse diiudicandum. Adversus hanc disputationem id monitum velim antiquissima illa de matrimonio filiae Homeri ac de Cypriis dotis loco

datis fabella, si accuratius eam consideremus et animo reputemus, non solum duas fuisse memorias de Cypriorum auctore demonstrare, sed etiam alteram, de Homero nimirum, vetustiorem ac fide digniorem fuisse putatam. Indicatur enim illa fabula Homerum verum fuisse auctorem Stasinumque ab eo illud poema cum filia accepisse, unde conicere licet minorem natu fuisse et a nonnullis, Cypriis scilicet, auctorem falso appellatum esse Stasinum. Quamnam de hac re Pindarus amplexus sit opinionem, nihil ad rem. Satis nobis sit cognovisse Pindari iam aetate illam narratiunculam diversas et inter se pugnantes opiniones significantem iam ortam esse, ex quibus vetustam illam penitus in populi animis defixam cum recenti quadam, auctoris nomine nondum adhibito, coniunxerit et consociaverit illa fabella.

Cetera, quae ad hanc, quam nunc tractamus, rem iudicandam Pindarica adhiberi solita sunt, Pyth. IV: 277 sq. et Isthm. IV: 31 sqq. (III: 49) nihil comprobare puto, cum illis doctissimis viris plane consentiens, quibuscum nimis saepe dissentire me iam doleo. Perbene expositis et explicatis rationibus, quae huc spectant, nihil mihi opus est eandem repetere disputationem.

Iam ad Aeschylum pervenio, quem Athenaeus VIII: 347 e illud clarissimum se Homeri cenarum participem fuisse enuntiasse auctor est. Καὶ τίν᾿ ἄν, inquit Cynulcus apud Athenaeum, contra Ulpianum in spinosis quaestiunculis semper versantem disputans, τῶν μεγάλων οὗτος οὐκ ἰχθύων, ἀλλὰ ζητήσεων ἐπὶ νοῦν λάβοι; ὃς τὰς ἀκάνθας ἀεὶ ἐκλέγει ἑψητῶν τε καὶ ἀθερινῶν καὶ εἴ τι τούτων ἀτυχέστερόν ἐστι ἰχθύδιον, τὰ μεγάλα τεμάχη παραπεμπόμενος. — οὕτω μοι δοκεῖ καὶ ὁ ‚λεβητοχάρων' Οὐλπιανός, κατὰ τὸν ἐμὸν Μεγαλοπολίτην Κερκιδᾶν, μηδὲν μὲν ἐσθίειν τῶν ἀνδρὶ προσηκόντων, τηρεῖν δὲ τοὺς ἐσθίοντας εἰ παρεῖδον ἢ ἀκάνθαν ἢ τῶν τραγανῶν τι ἢ χονδρῶδες τῶν παρατεθέντων, οὐδ᾿ ἐπὶ νοῦν βαλλόμενος τὸ τοῦ καλοῦ καὶ λαμπροῦ Αἰσχύλου, ὃς τὰς αὑτοῦ τραγῳδίας τεμάχη εἶναι ἔλεγεν τῶν Ὁμήρου μεγάλων δείπνων. Ricardus Volkmann non negat Aeschylum cyclum quoque epicum istud confitentem Homeri nomine comprehendisse certam probabilitatis speciem prae se ferre. Sed ea verba ad omnes tragoedias, nulla excepta, revocans, quod solum iustae interpretationis legibus congruat, cum multas fabulas aliunde haustas Aeschylus docuerit, argumentis fabularum missis, ad artem tragicam

poetae illa verba spectent necesse esse putat. Id tamen non concedam Aeschylum tragoedia sua Homeri epularum frustula dicentem tam accurate ac subtiliter locutum esse ut ad universas illud referri oporteat. Si Homero permulta se debere existimabat, perbene illud dicere potuit, praesertim cum in colloquio quodam id posuisse eum probabile sit, ubi saepissime rei augendae causa in laudando uberiores quam accuratiores simus.

Quod ad disputationem Eduardi Hiller de illo dicto Aeschyleo attinet, non mihi persuasit absurdam eorum esse opinionem qui argumenta fabularum Aeschylum spectasse statuunt. „Wie sollten die Aeschyleischen Tragödien als einzelne Bestandtheile von Homers Mahlzeiten darum bezeichnet werden können, weil sich bei Homer die in ihnen behandelten Fabeln vorfanden? Dies wäre keine Hyperbel, sondern eine Absurdität. Diejenigen Partien der alten Epen, denen Aeschyleische Dramen im Inhalte entsprechen, mochten Bestandtheile der Mahlzeiten ‚Homers' genannt werden; aber darum sind es doch noch nicht die Tragödien. Man versuche einmal sich vorzustellen, wie etwa in ‚Homers' Nosten der Tod Agamemnons erzählt sein mochte; konnte wegen dieser Erzählung die Dichtung des Aeschylos von diesem oder irgend einem anderen halbwegs verständigen Menschen für einen Bestandtheil der Mahlzeit Homers erklärt werden?" Verba Aeschylea nimis premere mihi videtur Hiller. Non in colloquio quodam philosophico de abstrusis rebus subtiliter disserens, sed in libero et familiari sermone Aeschylum ea dixisse nobis est animo cogitandum. Cur fabulae Aeschyli epularum Homeri frustula ab ipso appellari non potuerint, me non perspicere confiteor, cum rerum narrationes personarumque descriptiones, quibus in fabulis suis conficiendis utebatur, apud Homerum iam maxime delineatas invenerit. Non nimis audacter nec negligenter locutus est Aeschylus, cum ad fabulas componendas, ut ita dicam, frustulis epularum Homeri usus eas ipsas frrustula Homeri epularum appellaverit, modestia quadam suam ipsius artem reticens. Nihil haec habet interpretatio, quod stultitiae vel ineptiarum crimen subeat. Pergit Hiller ita: „Der Ausspruch hätte auch gar keine Pointe; bei Homer wäre nur die Fruchtbarkeit, das Erzählen einer grossen Masse von Geschichten, anerkannt; für Aeschylos aber würde in

den Worten eine Bescheidenheit nicht liegen: denn wenn eine derartige Menge von Sagen durch „Homer" behandelt war, so blieb ja einem Tragiker gar nichts anderes übrig, als die Stoffe seiner Dramen grösstentheils aus „Homer" zu entnehmen. Primum nescio an subtilitatem haudquaquam Aeschylus petiverit; tum non solum fecunditatem et copiam Homeri fabularum illis verbis praedicavit, sed plus etiam ingenii magnitudinem ac praestantiam artis, quibus res, quas tractaverat, in animis populi quasi insculpsisset, poetisque posterioribus cuiusvis generis ad imitanda exempla praeclarissima optime expressa proposuiset. Non tamen in universum, ut vult Eduardus Hiller, illud ab Aeschylo dictum est. „Homer — a quo ceu fonte perenni vatum Pieriis ora rigantur aquis — ist dem Griechen Muster, Vorbild und damit in gewissem Sinne auch Urheber aller späteren Poesie; auch die trefflichsten Dichtungen hätten ohne Homer nicht entstehen können, sind schliesslich auf ihn zurückzuführen und werden ihm verdankt; bildlich ausgedrückt: alle griechische Poesieen, und also auch die Aeschyleischen Tragödien, sind Bestandtheile einer grossen Bewirthung, deren Urheber Homer ist. In diesem — cum grano salis verstandenen der Wahrheit ganz entsprechenden — Sinne ist von Aeschylos jener Ausspruch, in dem sich Ehrfurcht vor Homer ohne irgend welche Selbstunterschätzung kundgiebt, gethan oder wohl richtiger ihm in den Mund gelegt worden, ursprünglich wohl so, dass die Worte die Erwiderung des Aeschylos an jemand bildeten, der seine Tragödien gepriesen hatte. Für die Zurückführung der kyklischen Epen auf Homer kann der Ausspruch hiernach nicht angeführt werden". Optime de Homero cyclico, mea quidem sententia, testimonium illud Aeschyleum intelligi et potest et debet. Nam multo latius, quam Aeschylo et aetati eius conveniant, illa eius verba patere vult Hiller. De se ipso ea pronuntiavit tragoediisque suis, quarum et personas et res, ut iam dixi, magnam partem bene praeparatas cyclo epico debebat. Non veri est simile iis verbis, quae sunt τὰς αὑτοῦ τραγῳδίας τεμάχη εἶναι τῶν Ὁμήρου μεγάλων δείπνων, eum artem solam, non item argumenta fabularum intellexisse. Cum ita haec se habere videantur, quin cyclum epicum ad Homerum retulisse Aeschylum statuam, non dubito.

Herodotum iam testem advoco. Qui, ut iam dixi, duobus locis (II: 117 et IV: 32) eam, quae nunc agitur, quaestionem attigit. Prioris haec sunt verba: Κατὰ ταῦτα δὲ τὰ ἔπεα [καὶ τόδε τὸ χωρίον οὐκ ἥκιστα, ἀλλὰ μάλιστα][16]) δηλοῖ, ὅτι οὐκ Ὁμήρου τὰ Κύπρια ἔπεά ἐστι, ἀλλ' ἄλλου τινός· ἐν μὲν γὰρ τοῖσι Κυπρίοισι εἴρηται, ὡς τριταῖος ἐκ Σπάρτης Ἀλέξανδρος ἀπίκετο ἐς τὸ Ἴλιον ἄγων τὴν Ἑλένην, εὐαέϊ τε πνεύματι χρησάμενος καὶ θαλάσσῃ λείῃ· ἐν δὲ Ἰλιάδι λέγει, ὡς ἐπλάζετο ἄγων αὐτήν. Ὅμηρος μέν νυν καὶ τὰ Κύπρια ἔπεα χαιρέτω. Ex his verbis Ricardus Volkmann rectissime conclusit Herodotum Cypria ab Homero abiudicasse; equidem multorum doctorum virorum sequens vestigia id quoque meo iure statuere videor Herodoti istam opinionem non modo omnium aequalium fuisse, sed ne plurimorum quidem. Nam, si fuisset vulgo recepta ea inter Homerum et Cypriorum auctorem distinctio, nullam Herodotus habuisset causam, cur eam discrepantiam de Paridis reditu narrationum notaret historiarumque libris insereret.

Magis etiam alter locus (IV: 32), cuius haec sunt verba: ἀλλ Ἡσιόδῳ μέν ἐστι περὶ Ὑπερβορέων εἰρημένα, ἔστι δὲ καὶ Ὁμήρῳ ἐν Ἐπιγόνοισι, εἰ δὴ τῷ ἐόντι γε Ὅμηρος ταῦτα τὰ ἔπεα ἐποίησε[17]), nobis documento est a vulgari sententia Herodotum levem tantum dubitationem hic profitendo paullum recessisse.

De his locis Eduardus Hiller ita disputat: „Hätte man zu Herodots Zeit Kyprien und Epigonen allgemein dem Homer beigelegt, so wäre einem Manne wie Herodot gewiss nicht der Gedanke gekommen, hiergegen Front zu machen und als kühner Skeptiker gegen eine von allen getheilte Anschauung mit kritischen Bedenken aufzutreten“. Perversa prorsus et falsa haec de Herodoti natura et ingenio est sententia. Si tam fuisset iudicio destitutus tamque usus esset animo humili atque demisso, ut, quae sibi narrata essent nullo adhibito consilio, traderet, historiae pater numquam appellatus esset.[18]) Quomodo factum sit, ut qui in hoc

---

[16]) Henrici Rud. Dietsch sequor sententiam postrema verba, utpote quae interpolationis suspicionem subeant, uncis includentis.

[17]) Fridericus Augustus Wolf, Proleg. ad Homerum² p. 95 n. 19 (edit. Calvar. utor) de hoc loco dubitavit, an genuinus esset necne, veteris grammatici suspicans annotationem.

[18]) Cicero, De leg. I: 1.

Herodoteo (IV: 32) nuperrime versatus est, ad illam opinionem pervenire posset, mihi quidem non perspicutum est. Hoc enim loco Herodotus ipse, si omnino verba illa inde a εἰ δὴ usque ad ἐποίησε aliquid significant, eam praeclarissime refellit. Eum sibi suam servasse sententiam de unaquaque re, quam ut memoria dignam posteris tradiderit, e multis locis apparet veluti II: 120: καὶ ταῦτα μὲν τῇ ἐμοὶ δοκέει εἴρηται et II: 53: τὰ δὲ ὕστερα τὰ ἐσ Ἡσίοδόν τε καὶ Ὅμηρον ἔχοντα ἐγὼ λέγω; ac paullo supra: Οἱ δὲ πρότερον ποιηταὶ λεγόμενοι τούτων τῶν ἀνδρῶν γενέσθαι ὕστερον, ἔμοιγε δοκέειν, ἐγένοντο. Haec exempla addam: I: 5; II: 21; 23; 43; 44; 45; 120; III: 116; IV: 36. Ad ea quae egregie de Herodoti natura et indole ac scribendi more a Georgio Grote in clarissima Graecorum historia vol. I: p. 377 sqq. exposita sunt, omnes, qui Herodoto student, relego. Etiam Alipius Tonder in Programmate Gymn. Böhmisch-Leip. a. 1875 optime de hac re disputavit, cuius de hac, quam tractamus, quaestione sententiam hic adiungam. Dicit enim vir ille doctissimus libri laudati p. 18: „Herodot hatte, wie die Geschichtschreibung insgesammt, mit dem Glauben der Volksmenge gebrochen. Bei seiner Kenntniss und scharfen Beurtheilung fremder religiöser Anschauungen, konnten ihm die Vorstellungen der Menge nicht genügen, besonders da er nicht unbekannt mit der philosophischen Spekulation war, die schon seit geraumer Zeit an dem Gebäude der griechischen Theologie rüttelte“ et p. 23: „Es übt also Herodot an der ältesten Dichtung seine Kritik“.

Cum in Herodoteis versemur, illud nobilissimum, ubi (II: 23) de Homero et Hesiodo auctoribus deorum divinarumque rerum Graecorum disseruit Herodotus, adhibere e re mihi visum est, quod inter argumenta, quae epicum cyclum quoque ab Homero esse scriptum probent, interdum habetur. Ricardus Volkmann hunc locum prorsus omisit, Eduardus Hiller vero satis fuse eum tractavit. Ita fere Herodotus scripsit: οὗτοι δέ εἰσι οἱ ποιήσαντες θεογονίην Ἕλλησι καὶ τοῖσι θεοῖσι τὰς ἐπωνυμίας δόντες καὶ τιμάς τε καὶ τέχνας διελόντες καὶ εἴδεα αὐτῶν σημήναντες. Udalricus de Wilamowitz in praeclarissimo et ingeniosissimo suo libro, qui „Homerische Untersuchungen“ inscribitur, Herodotum, si illis verbis usus Iliadem solam Homero addixisset, ineptissime disputaturum fuisse dixit. Hoc iudicium quid sibi velit Eduardus Hiller se non

intelligere fatetur, quod in Homeri Iliade et Odyssea atque in Theogonia et Catalogo Hesiodi omnes res ad religionem Graecorum spectantes iam expositae sint. Quod valde dubito, num verum sit. Apud Athenienses imprimis quoniam historiam suam scripsit, certe de Homero Iliadis et Odysseae auctore sive de Hesiodo inconsiderate id posuisset, si Cereris vel Bacchi vel Thesei cultus et res gestas ab eo quasi fonte repetivisset. Ne mea quidem sententia in numero testimoniorum, quae ad cyclum epicum propius pertinent, hic locus est numerandus, utpote qui latius pateat. Namque rectissime Udalricus de Wilamowitz intellexit Homerum et Hesiodum non unius vel alterius carminis auctores, sed generum duorum quasi summa specimina et capita ab Herodoto esse nominatos. Non me fugit Herodotum ipsum illos poetas veterrimos, ut eius fert opinio, cum alii vulgo antiquiores existimarentur, dixisse non tamen ea de causa, quam Eduardus Hiller l. l. p. 335 attulit: „sie haben seiner Meinung nach die populären Vorstellungen von der Götterwelt in ihren verschiedenen Details gestaltet und ausgebildet, und ihre Schilderungen haben für die folgenden Dichter sowiefür das Volk Gültigkeit gewonnen", sed quia, quae ex antiquitate permansissent, probissima essent iudicanda, et Homero Hesiodoque, in suo quoque genere praestantissimis, nullus epicus, qui historiam et vitas deorum heroumque enarrasset, posset inveniri maior. Itaque, ni fallor, Herodotus summa praestantia operum ul ipsos amtores ad antiquissima tempora referret, adductus est. Nam non veri est simile eum de Homeri vel Hesiodi apud posteros auctoritate ad divinas res excolendas quidquam cognitum habuisse vel in hanc quaestionem inquisivisse. Tales enim res illa tempora non agitaverunt. Herodoti mera illa est suspicio et coniectura.

Ad eam aetatem in literis perscrutandis iam pervenimus, ubi Homerus de epici cycli carminibus sensim decessit. Herodotus primus, ut iam vidimus, in iis, quae exstant literis, de illa re dubitationem suam professus est. Sed iam Hellanicus (Schol. Eur. Tro. 821, οἱ δὲ Κιναίθωνα Δαμεδαιμόνιον, ὡς Ἑλλάνικος) Iliadem parvam Homero non adscripsit. Tum, ut perbene demonstravit Ricardus Volkmann, Glaucum Rheginum, antiquissimum Graecarum literarum indagatorem, Platonem, Aristotelem statuisse ad Homerum modo Iliadem et Odysseam pertinere satis firmis rationibus licet

comprobare aut coniectura quidem assequi. Quod ad eos attinet, qui post Aeschylum ab hac alienam habuisse sententiam existimati sunt, sive Sophocles, seu Xenophon, seu Aeschines, cum Ricardo Volkmann et Eduardo Hiller prorsus incerta et inania esse argumenta credo, quae ex illorum scriptis assumi solita sunt. Idcirco haec mihi videor meo iure statuere usque ad quintum a. Chr. n. saeculum medium Homeri nomen latius patuisse quam postea, et verisimile esse epici cycli carminum aut omnia aut plurima saltem tum Homerica fuisse. Hanc autem sententiam Eduardus Hiller in disputatione sua p. 349 sqq. vehementer oppugnavit, in cuius ratiocinationem mihi liceat paucis inquirere. Summam quaestionis, quam de hac re susceperat, ita comprehendit, ut secundum Pindarum apud Aelianum et Herodotum (II: 117 et IV: 32) quinto a. Chr. n. saeculo fuisse, qui Cypria et Epigonos et ideo Thebaidem quoque, cum iis arte coniunctam, ad Homerum auctorem retulerint, dicat. Tum sic pergit: Mehr nämlich besagen die angeführten Stellen nicht; dass — worauf es uns hier ankommt — die Meinung vom homerischen Ursprung jener Epen zu den Zeiten Pindars und Herodots die allgemein verbreitete gewesen sei, ist aus ihnen keineswegs zu entnehmen. At primum Callini, Simonidis, Aeschyli testimonia, ut vana et futilia omisit, non recte, ut mea fert opinio, cuius rationes iam exposui. Deinde, ut supra demonstravi, Pindaricum illud apud Aelianum servatum illam sententiam iam saepe tractatam antiquissimam esse, Herodotea vero apud aequales communem et vulgarem fuisse satis dilucide ostendunt.

Denique nulla extrinsecus assumpta documenta reperiri posse, quibus probetur Homerum umquam apud Graecos plurium, quam nos ei tribuimus amplorum carminum auctorem vulgo creditum fuisse, se ratus comprobasse, ad ea, quae in vi ipsa ac natura huius, de qua agitur, rei haereant argumenta se convertit examinanda. Attamen nulla invenit, ac ne posse quidem inveniri persuasum habet. Quod haud scio, an verum sit. Si enim omnia epici cycli carmina antiquis temporibus aut Homerica fuisse aut anonyma, uno vel altero solum auctoris nomine non vulgo sed apud singularem scriptorem praedito veluti apud Hellanicum, animo ac mente reputemus, quaeramus necesse est, quam ob rem carmina tanti ambitus, quae tanta gratia et celebritate apud populi animos

florerent, anonyma sint circumlata, cum alia eiusdem paene aetatis, velut Archilochi vel Alcmanis vel Stesichori minutissima poemata in dubium non vocata sint. Est autem tota haec quaestio in natura rerum et vi posita, ni fallor. Ea, quam exhibet Eduardus Hiller, illius rei explicatio non mihi quidem satisfacit. Credit enim rhapsodis esse tribuendum, quod in oblivionem venerint epici cycli poetae. Apud illos enim, quorum epica carmina recitandi et iudicandi et commendandi fuerit potestas, cum nondum eorum versus vulgo lectitarentur, nominum quoque auctorum et famae fuisse arbitrium. Quae sententia ei, quam aperte praedicavit Hiller, iis scilicet temporibus, quibus cyclica carmina condita essent, iam literis fuisse ea commendata, mihi quidem parum respondere videtur, praesertim cum etiam auctorum nomina iis addita fuisse Hiller ipse suspicatus sit. Etiamsi de uno alterove, ita ut vult Hiller, rem se habuisse haud prorsus improbabile sit, tamen, cum omnes eadem subierint fata, aliter rem esse explicandam arbitror. Haec enim res ad eandem causam nos suspicandam adducere oportet, cum rhapsodorum negligentiam vel invidiam non idem effecisse, sed potius multifariam inter se discrepantes opiniones de illorum carminum auctoribus movisse statuendum sit. Quod ad suam sententiam confirmandam de audientium incuria dicit auctorem versuum cognoscendi, quos recitatos perceperint, valde dubito, num recte sentiat. Nam, si, quod humanum sit, ut nomina sua aeterna gloria celebrarentur, illi poetae magnopere studuerint, sicut Hiller existimavit, non video, cur haec fama non unius, sed omnium illorum poetarum duo post saecula prope omnino evanuerit. De illa re ita disputat Eduardus Hiller: „Zu der Zeit, in der diese Dichtungen entstanden, war schriftliche Aufzeichnung und Verbreitung von Poesien schon ziemlich üblich, und Dichterruhm unter den Hellenen war in ganz anderer Weise ein begehrenswerthes und erreichbares Ziel geworden als es bei den Aöden der literaturlosen Zeit hatte der Fall sein können. — War ein Rhapsode mit der Abfassung eines Epos beschäftigt — dass die Abfassung damals eine schriftliche war, bezweifelt doch wohl jetzt kaum Jemand mehr — so erfuhren hiervon sicherlich nicht nur seine Söhne und seine Collegen, sondern auch noch manche andere aus der grossen Zahl derer, mit denen diese

Leute in Berührung kamen. Ich wüsste auch nicht, weshalb damals der Verfasser eines grösseren Epos es unterlassen haben sollte, das von ihm niedergeschriebene Exemplar mit seinem Namen zu versehen und überhaupt dafür Sorge zu tragen, dass seine Autorschaft nicht ignorirt werde.“ Cum haec ita fuerint, sane mireris nominum eorum vix unum vestigium quinto et quarto a. Chr. n. saeculis reliquum fuisse.[18]) Hoc multo difficilius est intellectu quam illud, quod Eduardum Hiller offendit, eorum hominum nomina, qui Homerum Iliados tantum et Odysseae auctorem putarent ceteraque carmina primi excluderent, non esse tradita. Quod nihil habet, quod mirabile sit. Namque eam mutationem nullis certis auctoribus adiuvantibus per se perfectam esse optime cogitari potest. Cum ratio et doctrina literarum studiumque libros exscribendi et colligendi legentium animos ad tales res considerandas et disserendas commovissent, et Sophistarum disputationes omnia, quae a patribus tradita erant, labefactarent, non aliter fieri potuit, quin omnes, qui prudenti et considerato uterentur iudicio, Homero tot et tam diversa poemata, quae variae originis prae se ferrent indicia, abiudicarent.

Illas autem de Homero singulorum cyclicorum carminum auctore opiniones Eduardus Hiller per rhapsodos ortas esse credit. Hos enim, ut, quos recitarent versus, plus audientibus commendarent, Homeri nomen falso iis dedisse. Quae sententia mihi omnino non probatur. Si verum sit, quod Hiller contendit p. 356, Iliadem et Odysseam, cum epici cycli carmina conscribi coepta essent, iam absoluta et omnibus locis cognita Homero vulgo adscripta fuisse, haud veri est simile rhapsodos illos tantam ineptiam admisisse, ut maximo et clarissimo poetae, cuius opera in omnium vigerent animis et memoria, mediocria quaedam poemata attribuerent. Hoc modo illam sententiam nasci potuisse omnino nego. Qua de re quod ad posteriora attinet tempora, quibus legendi potestas pervulgata erat, Hiller mecum consentit, ita disputans: Dass man, als es ein Lesepublicum gab, gewagt habe, Exemplare kyklischer Dichtungen mit dem Namen Homers zu versehen, ist nicht anzunehmen“. Cum cyclica carmina iam ab

---

[18]) von Wilamowitz, Hom. Untersuchungen p. 371.

initio literis conscripta esse existimet, rhapsodis in hac re nimium eum dare auctoritatis apparet. Nam fac etiam solos rhapsodos scriptis exemplaribus usos esse, quod non potest probari, alios rhapsodos aliter de iisdem carminibus eorumque auctoribus, prout hic vel illic nati essent, tradidisse credi oportet.

Hiller sententiam popularem, quam dico, in talibus rebus omnino nihil valere putat. Aut rhapsodos singulos aut singulos scriptores adhibet ad suam sententiam evincendam; communis omnium vel plurimorum opinionis exploratione abstinet, et quod ex indicibus et vestigiis satis apertis eam conicere voluerint viri docti, reprehendit, quod de Herodoteo illo (II, 117) certe nimii est timoris.

Ad finem iam perveni huius percensendi operae, qua quae mihi videor effecisse, iam paucis repetam. Recte viri illi docti, quorum disputationes ad quaestionem, cui studemus, expediendam admodum profecerunt, sententiam eorum, qui Homerum poetam epicum universalem praedicaverunt, angustioribus circumscripserunt finibus, sed modum, mea quidem sententia, excesserunt. Qui enim post Herodotum usque ad Pseudo-Herodoteam vitam Homeri et Proclum et Suidam adhibiti sunt eius sententiae testes, eos nihil nos de illa re docere manifesto apparuit. De antiquioribus autem idem demonstrare conatis, non satis contigit ut, quod sibi proposuissent, efficerent. Sunt enim revera illi testes eius modi, ut vix liceat dubitare, quin illam opinionem, utpote aequalibus acceptam et sollemnem, amplexti sint. Nihil novi hoc statuendo me eruisse non ignoro. Udalrici de Wilamowitz sententiam me defendisse satis superque glorior.

II.

Quam p. 1 iam exposui sententiam cycli epici carmina tragicorum fabulis oblitterata esse, artis monumenta, frequentia aut paucitate sua de carminum, quorum ex narrationibus artis imagines desumptae erant, populari gratia testantia confirmant. Eodem enim tempore, quo tragica Graecorum ars ad summum fastigium et columen pervenerat, quintum a. Chr. n. dico saeculum, si va-

sorum fictilium consideraverimus imagines, quae et numero et argumentis ad has quaestiones diiudicandas maximi sunt momenti, cycli epici res vix iam depingui videbimus.

Certe est monendum illo tempore vasorum pictores, Polygnoti[19]) maxime secutos exemplum, tabulis[20]) amplissimis, quas Athenis, Delphis, Plataeis pinxerat, editum, aliud prorsus genus pingendi assumpsisse. Hic enim summus artifex non solum artem vinculis liberavit, quibus suis numeris nondum absoluta facultas tenebatur, sed etiam, quae ad argumenta pertinebant, liberius commutavit, a vetustis fabulis saepe discedens.[21]) Quod iam Aristoteles (De arte poetica libr. c. 6 p. 1450 a) monuit, Polygnotum ἀγαθὸν ἠθογράφον appellans, quibus verbis etiam arbitrium, ni fallor, artificis in consiliis suis elaborandis et aperiendis res et homines, quibus argumentis utatur, mutandi et amplificandi et novo modo inter se componendi significavit. Hanc autem sententiam Aristoteles de tragoedia disserens ita exprompsit, cum arte pingendi eam compararet, idemque de ἤθει tragoediarum quod de picturarum valere declararet. Sed opponit id, quod est τὸ ἦθος, alii tragoediae parti, τῷ μύθῳ videlicet. Dicit enim p. 1450 b: ἀρχὴ μὲν οὖν καὶ οἷον ψυχὴ ὁ μῦθος τῆς τραγῳδίας, δεύτερον δὲ τὰ ἤθη. ἔστιν γὰρ μίμησις πράξεως καὶ διὰ ταύτην μάλιστα τῶν πραττόντων. Ἦθος autem ita describit eodem capite: „καθ' ὃ ποιούς τινας εἶναί φαμεν τοὺς πράττοντας" et „ἔστιν δὲ ἦθος μὲν τὸ τοιοῦτον ὃ δηλοῖ τὴν προαίρεσιν". Itaque illud ἦθος, quod Aristoteles Polygnoto attribuit et illud, quod antiquis tragicis dat, quasi propinqua fuisse conicere licet, nec prorsus improbabile videtur per poetas tragicos ad illam rationem res heroicas animo concipiendi et tractandi Polygnotum ductum esse.

Si vasorum picturas, quae post medium quintum a. Chr. n. saeculum pulchro, quod vocatur, genere pingendi factae sunt, exa-

---

[19]) Robert, Ann. del Instit. 1882 p. 273 sqq.; Fr. Winter, Die jüngeren attischen Vasen p. 45 sqq.; Furtwängler, Samml. Sabouroff I, II p. 6; Dümmler, Jahrb. d. deutschen Arch. Instituts II p. 168 sqq.

[20]) Ivanoff, Ann. d. Inst. 1861 p. 278 n. 1; Leop. Julius, Mitt. d. athen. Inst. II: p. 192; Robert, Bild u. Lied p. 182, n. 31.

[21]) Dümmler, Jahrb. des deutschen arch. Inst. II: p. 172.

minaverimus, sine dubio illud Polygnoteum ἦθος, ab Aristotele laudatum, manifesto expressum nobis apparebit. Cuius rei vel luculentissima sunt exempla illa pulcherrima vasa sepulcralia albo colore obducta, quae vulgo lecythi appellantur[22]), quorum imagines summa humanitate plenae dolore et affectu tantum valent, ut nobis aspicientibus misericordiam moveant necesse sit. Inter quas imprimis Mortis et Somnii atque Charontis et Hermae figuras tam moribus atque ingenio uniuscuiusque consentaneas maxime ἠθικῶς depictas laudo. Atque si illius aetatis picturas fictilium vasorum universas considerabimus, fieri non poterit, quin maximam intercedere dissimilitudinem et discrepantiam inter has prioresque etiam in argumentis eligendis et tractandis doceamur. Nam in rebus heroum describendis, quales in carminibus vetustis epicis traditae erant, vasorum pictores maximum studium non amplius posuerunt, sed ut picturae, quas exhibebant, et oculis pulchriores et ipsae per se sine poetarum narrationibus ad spectantium animos alliciendos aptae et idoneae fierent, maxime enitebantur. In his picturis non πρᾶξιν, sed ἦθος valere manifestum est. Ut aliqua exempla proferam, vide illas vasorum picturas tam frequentes, quae res et exercitationes palaestricas, libationes, sermones, coronationes, amores, exeuntes quosdam et redeuntes praebent, quarum maxima pars ad historiam heroum non est referenda[23]). Omnino heroicae res communis vitae imaginibus inde a quinto a. Chr. n. saeculo medio cedunt, quod epicorum carminibus, quae usque ad id tempus pictoribus vasculorum res et materiem maxime praebuerant, Iliade et Odyssea exceptis, ex animis Graecorum et memoria tragoediae vi et virtute depulsis, cum summi artifices, quales erant Polygnotus, Micon, Myron, Polyclitus, Phidias, ad communem vitam resque humanas, omnium oculis semper se praebentes, suarum formarum causa admirandas exprimendas depingendas civium suorum mentes invitassent, factum esse opinor. Idcirco et summi poetae

---

[22]) Pottier, Etude sur les lécythes blancs attiques à représentations funéraires; Dümmler, Jahrb. d. deutschen arch. Inst. II (1887): p. 176.

[23]) Heydemann, Heroisierte Genrescenen auf bemalten Vasen in Comment. in honor. Theod. Mommsensi ed. p. 163; Luckenbach, l. l. p. 541 sq.

et artifices maximi, qui aequales fere in eadem civitate florebant, hominem, qualis sit et qualis fieri possit, explorando et ante oculos ponendo artem ad divinitatem perduxerunt.

Nullum cognovi documentum, ex vasis depromptum, quod ad comprobandam illam sententiam epici cycli carmina eo tempore, quo maxime florebat Athenis tragicorum ars, oblivione obrui coepta esse, plus valeret quam illa, quae duos heroas latrunculis ludentes exhibent. Nam nullum, quantum scio, exstat exemplum, quod post illud tempus pulchro, quod dicitur, pingendi genere vel eo, quo usi sunt Magnae Graeciae vasorum pictores, effectum sit. Atque ex carmine quodam epico iam non reliquo hanc imaginem saepissime pictam manasse inter recentiores viros doctos constat, qui de his rebus egerunt.[24]) Comprobari enim hanc sententiam existimaverunt eo, quod in nonnullis vasis heroum nomina figuris adpicta sunt, Aiacis et Achillis, quorum vasorum nobilissima est illa ab Exekia picta amphora, quae in Museo Gregoriano adservatur.[25])

Ad ipsam iam quaestionem perveni, quam mihi proposueram, ut harum imaginum unam, quae a viris doctis diu temptata et tractata nondum ad interpretationem satis probabilem est perducta, quoad possem, explicarem et interpretarer. Est vasculum, de quo agitur, patera quaedam Volsiniensis, rubris figuris adornata, quae hodie Londini in Museo Britannico (no. 835) servatur,[26]) ab Eduardo Gerhard in opere suo clarissimo, quod „Auserlesene Griechische Vasenbilder“ inscribitur, publici iuris facta (III: no. 186)[27]), de cuius figuris externis Ioannes Overbeck l. l. p. 357

---

[24]) Overbeck, l. l. p. 309; Heydemann, Griech. Vasenb., Berlin 1870 p. 6 n. 13; Schneider, Der troische Sagenkreis in der ältesten griech. Kunst, Leipzig 1886 p. 110.

[25]) Monumenti del Instit. arch. II: 22; Museo Gregor. II: 53 (Overbeck, l. l. p. 311, falso haec citavit, Monum. II: 27 pro II: 22, Mus. Gregor. I: 53 pro II: 53); Gerhard, Etrusk. und Camp. Vasenb. Hilfstafel E. no. 23; Overbeck, l. l. tab. XIV: 4; Wiener Vorlegeblätter, 1888, tab. VI: 1.

[26]) Catal. Durand. no. 385.

[27]) Eduardus Gerhard ipse animadvertit in illa imagine negligentia eius, qui eam delineavit heroes latrunculis ludentes falso loco positos esse.

haec dixit: „Ob Welcker ganz den richtigen Ausdruck getroffen hat, wenn er zum Schlusse sagt, es scheine, dass hier der ganzen Manier der alten Vasencomposition auf feine Weise gespottet sei, mag ich nicht entscheiden, doch glaube ich, dass diese Vase, wie sie bisher unserer Auslegungen und Combinationen gespottet hat, auch ferner derselben spotten wird, falls wir uns nicht entschliessen, dem Spott durch das Aufgeben fernerer Versuche zu begegnen." Sed numquam esse desperandum mihi persuasum est de rebus, quae ad doctrinam et veri indagandi rationem pertineant, antequam argumentis claris et luculentis demonstratum sit nullam evadere posse interpretationem probabilem, quod de hac pictura perplexa sane et ambigua nondum factum est. Quae ad hanc quaestionem disceptandam, qua sum talium rerum imperitia, adgresso, quae mihi visa est interpretatio optima, eam hoc loco communicare non dubito sic iudicans non solum recte statuendo, quod verum sit, sed etiam saepissime perperam disputando ita tamen, ut verum leviter tangatur aliqua in parte, tales quaestiones sensim ad recte interpretandi viam ac rationem adduci.

Primus Ioannes de Witte (Description des antiquités et objets d'art, qui composent le cabinet de feu Mr. le Chevalier E. Durand, Paris 1836 no. 385) illam imaginem descripsit et sic interpretatus est, Achillem, quem antecedat eius armiger, Telepho, cuius nomen adpictum esse constat, insistentem, et Hectorem, nomine item designatum, cum duobus aliis Troianis e porta Scaea egredientem et Telepho auxilium ferentem hac pictura oculis subici. Cuius interpretationis Theodorum Panofka, qui[28]) simili fere modo aliam imaginem, Troili fugam exhibentem, explicavit, auctorem affert. At quid sibi velint duo illi heroes, qui inter has turbas summa cum tranquillitate ludum solum attendant, non declaravit, Protesilaum aut Thersiten et Palamedem eos appellans. His enim nominibus primi illarum imaginum interpretes usi sunt, Theodorum dico Panofka, qui primus[29]) has ima-

[28]) Ann. dell' Inst. VII: p. 119.

[29]) Tübinger (Schorns) Kunstblatt 1825, p. 153 - 160 (Hic etiam Joannem Overbeck incuriae citandi coarguere cogor, annum 1829 pro 1825 exhibentem, Friderici G. Welcker, ni fallor, secutum errorem, Alte Denkmäler, III: p. 4 n. 3) = Hyperbor. Römische Studien, Berlin 1823, I: p. 165, 7.

gines animadvertit et ad eas doctorum virorum direxit studia, ab illa nigris figuris amphora picta, quae a. 1825 Nolae reperta nunc Neapoli in Museo civili (no. 2460, Heydemann) adservatur, profectus, Melchiorem Fossati,[30] Eduardum Gerhard,[31] qui ad religionem et cultum, sibi semper constans, has figuras retulit. Saepe enim Athena illi ludo interest, quae res harum imaginum interpretationem maxime perturbavit. Fridericus G. Welcker,[32] quem secuti sunt recentiorum plerique[33], haec duo genera primus subtiliter discrevit et constituit, quae tamen distinctio nulla est. Nam Athenam in Troianas potissimum res praebentibus picturis saepissime ita adesse constat ut ad rem ipsam, quae depicta est, nullo modo pertineat.[34] Protesilai autem et Palamedis nomina, ut hic inferret, Euripidis loco Iphig. Aulid. vv. 190 sqq. Theodorus Panofka permotus est. Qui versus hi sunt:[35] κατεῖδον δὲ δύ' Αἴαντε συνέδρω τὸν Οἰλέως Τελαμῶνός τε γόνον, τᾶς Σαλαμῖνος στέφανον, Πρωτεσίλαόν τ' ἐπὶ θάκοις πεσσῶν ἡδομένους μορφαῖσι πολυπλόκοις, Παλαμήδεά θ', ὃν τέκε παῖς ὁ Ποσειδᾶνος, — quos ita interpretatus est, ut Protesilaum et Palamedem solos latrunculis delectari dixerit, cum et duo Aiantes idem fecisse, si Euripidem auctorem sequimur, putandi sint. Idem Theodorus Panofka Polygnoti in porticu illa Cnidiorum Delphica picturam, qua inferos eum depinxisse constat[36], ubi Thersites et Palamedes et Aias in illo ludo occupati depicti sunt, interpretationi iam adhibuit.[37]

Sed ad illam pateram, in qua imprimis haec disputatio versabitur, redeamus. Priusquam in virorum doctorum opinionibus

---

[30] Bull. dell' Inst 1829, p, 77.

[31] Rapp. Volc. n. 189 (Ann dell' Inst. 1831 p. 35 et 133).

[32] Rhein. Mus. III (1835) p. 600 sqq.; Alte Denkmäler III: p. 1 sqq.

[33] Overbeck, l. l. p. 308 sqq.; Roulez, Choix de vases peints p. 5 sq.; Klein, Verh. der 29. Philol. Versamml. in Innsbruck, 1875, p. 156.

[34] cf. Mon. dell' Inst. I: 34; Gerhard, Etr. u. Camp. Vasenb. t. XIV; Auserl. Vasenb. III: 201; 202, 5. Wiener Vorlegebl. V: 5.

[35] Guilelmi Dindorf utor editione Euripidis fabularum superstitum, quae Lipsiae in aedibus Teubnerianis a. 1869 prodiit.

[36] Paus. X: 31, 1.

[37] Museo Bartholdiano, Berlino 1827, p. 85 sq.

de hac pictura prolatis enarrandis progrediar, breviter eam describere e re mihi visum est. Ut iam commemoravi, sub altera ansarum porta Scaea picta est, circum alteram sedent duo homines barbati, palliolis, galeis, ocreis induti, genu nixi, qui laeva manu bacillum vel scipionem humi ponunt, dextram deorsum tendunt. Sub ipsa ansa saxum positum est, a descriptore Eduardi Gerhard omissa,[38]) in qua latrunculi iacent. Post terga autem ludentium duae arbores pictae sunt, quibus clipei ludentium innituntur. Quae inter has imagines intercedunt spatia, terni utrimque homines explent, quorum medius equo insidet, duo pedites sunt. Hi omnes ad ludentes illos summa cum celeritate adpropinquantes, e portis Scaeis exire videntur. In una parte omnibus armis tres viri instructi sunt, in altera vero primus, cui adpictum est nomen Telephi, telo tantum armatus et coronatus laevam longe profert, medius eques puer paene coronatus plane inermis est, postremus denique hasta, galea, scuto, ocreis instructus dextram capiti imponens et celeriter currens oculos retorquet.

In Mus. Rhen. vol. V (1837) p. 140 Fridericus G. Welcker de catalogo illo ab Ioanne de Witte conscripto iudicium faciens, hanc quoque pateram leviter attigit. Puerum equitantem et coronatum Achillem Telephum persequentem, illum virum Hectorem cum Troianis subvenientem interpretatur duasque non cohaerentes sed sibi respondentes imagines per Palamedem et Thersitam vel Protesilaum ludentes ex hac parte, illinc autem porta Scaea et Troiae muris seiunctas esse credidit.

Contra hanc opinionem Otto Jahn (Telephos und Troilos, Kiel 1841, p. 86 sqq.) disserens, coniungendas esse has imagines statuit, nullam rationem Hectoris, qui ab hac re alienus sit, inducendi mente percipiens. Neque lusitantes illi interpretationi convenire putat. Propterea quod Telephi nomen hic maxime offendit, cum eum Troiano bello non interfuisse putet, Otto Jahn pictoris negligentia nomen Telephi pro Troilo scriptum esse suspicatur. Hoc enim si sumamus omnia optime quadrare: Troilum puerili, ut saepissime fictus sit, habitu, equitantem, paedagogo comitante, qui

---

[38]) Dicit in Catalogo Durand. Joannes de Witte illam pateram describens: „le cube, sur lequel sont placés les dés, se trouve audessous de l'anse."

primus currit, Achillem insectari, quae res a vasorum pictoribus persaepe sit tractata.[39]) Hectorem eiusque comites, auxilium ferentes cum reliquis figuris hac interpretatione optime coniungi posse, ut in multis monumentis illi auxiliantes inveniantur. Lusores existimat hic additos esse ad prima Troiani belli tempora significanda, cum Graeci desides et ignavi ludis se dederent, Achilles primus et solus contra hostes exiret.

Eduardus autem Gerhard[40]) duo diversa certamina et duas fugas hic statuere vult, quibus tamen interpretandis supersedet. Maxime ad Ottonis Jahn sententiam, errorem nominis Telephi suspicantis, recipiendam propensus est.

Deinde Fridericus G. Welcker in Annalibus Instit. archaeol. a. 1850 p. 87 in numero eorum monumentorum, quorum imagines ad Troili fugam pertinent, hanc quoque pateram habet. Recte vidit nomen Telephi non puero, qui equo vehitur, sed illi iuveni coronato, quem Otto Jahn paedagogum appellat, teloque instructo, qui agmen ducit, adscriptum esse. Quod cum ita sit, Ottonis Jahn coniectura nihil nos adiuvari intellexit. Etiam postremi illius hominis, qui puerum persequitur, motum, ad caput dextram admoventis pavorem significare rectissime animadvertit. Quae res tamen hic exhibitae sint, omnino non posse expediri putat, nisi in ridiculum voluisse vertere vasorum imagines ille pictor existimandus sit.

Ioannes Overbeck l. l. p. 355, sicut Welcker, cui omnino adstipulatur, hanc pateram inter monumenta, quae ad Troili fabulam spectant, numerat. Iam verba attuli (p. 29), quibus disputationem suam finivit.

Denique Guilelmus Klein[40a]) de hac pictura disputans hoc fere modo eam interpretatus est. Dum Aiax et Achilles securi et soluti tesseris ludant, Troianos Hectore duce impetum inopinato facere. Graecorum, qui incauti et imprudentes perturbentur, Telephum nudum, telo instructum se proripere, quem sequantur eques nudus et omnibus armis miles ornatus, galeam capiti adaptans. Tum sic pergit: Die dichterische Erfindung dieser wirkungsvollen

---

[39]) cf. Gerhard, Etr. u. Camp. Vasenb. Hilfst. E: 2, 3, 7, 10.

[40]) Auserles. Vasenb. III: p. 78.

[40a]) Euphronios² p. 230.

Situation mit ihrem jähen Wechsel vom Idyll zur höchsten dramatischen Energie ist ein Meisterstück, dem aus unseren Resten der cyklischen Poesie nicht allzuviel an die Seite zu stellen ist. Es ist also nicht weiter wunderbar, wenn die bildende Kunst sich dieses wirklich populär gewordenen Stoffes so lebhaft angenommen hat. Ihn getreulich nacherzählt zu haben, dies Lob gebührt dem arg verkannten Gefässbilde, von Troilos hat es nichts zu melden."

Hanc interpretationem nequaquam probari posse puto. Nam primum, si ipsas figuras consideremus, monendum esse mihi videtur inter Graecos maius discrimen interesse quam eidem eorum conditioni conveniat, cum unus omnibus armis instructus, ceteri nudi, unus equo invehatur, alii pedites sint. Tum Telephi figura dubitationem nobis inicere debet. Nam inter Graecos, Troiam oppugnantes, quantum equidem scio, Telephus nusquam commemoratur. Ad Troiam licet ducem fuisse itineris in Cypriis narratum sit, tamen non inde colligendum est in Graecorum castris eum mansisse. Contra haud verisimile est eum hostibus, quibuscum non ita multo ante dimicasset, interesse voluisse. Praeterea in hac pictura nomine adscripto, cum Graecorum etiam agmen ducat, eum praeter ceteros praedicari, apparet. Cum e Troianis Hector nominatus sit, e Graecis autem Telephus, quem Troianorum socium et Graecorum hostem cognovimus, valde miror, quomodo ad illa nomina eligenda, et si Guilelmi Klein sequamur interpretationem, inter se opponenda pictor adductus sit.

Restat, ut Caroli Robert sententiam, hoc monumentum in clarissima sua de anaglyphis Pergamenis, quae ad Telephi spectant fabulam, commentatione obiter tangens (Jahrbuch des deutschen Archäol. Instituts III (1888) p. 62, n. 18), commemorem. Ad Telephi fabulam hoc monumentum denuo retulit ad interpretationem Alcidamantis rhetoris declamationem, Ulixes quae inscribitur, primus adhibens (p. 188, 16 Blass), quam Welcker[41]), Sauppe[42]), Vahlen[43]), Blass[44]), Rosenberg[45]), alii Alcidamanti abiudicaverunt. Cuius, quae

[41]) Ep. Cycl. II: p. 165.

[42]) Or. Att. II: p. 156.

[43]) Sitzungsber. der Wiener Ak. 1864, p. 522 sqq.

[44]) Att. Bereds. II: p. 156.

[45]) Jahrb. für Philol. vol. 103 (1871).

ad Telephum Troiae versantem pertinent verba, haec sunt: ὁ δὲ Τεύθρας ἄπαις ὢν τὴν μὲν Αὔγην γυναῖκα ποιεῖται, τὸν δὲ παῖδα αὐτῆς ἐπονομάσας Τήλεφον τίθεται υἱὸν αὐτοῦ, δίδωσί τε Πριάμῳ αὐτὸν εἰς τὸ Ἴλιον[46]) παιδεῦσαι. Hac sententia, quippe quae perversam prorsus et ab omni fide abhorrentem rem contineret, critici ad illum libellum Alcidamanti abiudicandum pro argumento usi sunt. Quod Ernesto Maas omnino non probatur, sed confirmari traditam originem illo argumento de Telephi fabula sumpto opinatur.[47]) Quod enim Mysus erat Alcidamas, in Mysorum fabulis hanc Telephi cum Troianis amicitiam traditam invenisse credit. Et in Iliadem parvam transiisse eam ex eo apparere, quod in hoc carmine Astyocha, Telephi uxor, mater Eurypyli, hunc, ut Troianis opem ferret, vite aurea a fratre corrupta, hortata sit, quo in bello a Neoptolemo Eurypylus occisus est.[48]) Etiam auctorem Necyiae Odysseae, λ: 519 sqq.[49]), hanc de vite aurea narrationem cognitam habuisse Ernestus Maas monuit.

Hac disputatione certe demonstravit Telepho cum Troianis amicitiam et societatem intercessisse antiquam fuisse Mysorum famam, cuius vestigia et in Iliade parva et in Odyssea et in declamatione illa, quae Ulixes inscripta est, invenimus, sive Alcidamas fuit eius auctor sive alius quidam.

Hoc recte constituto, Carolus Robert Telephum et Hectorem duos Graecorum duces, qui excubias agentes latrunculis ludendo otium terant, ex inopinato utrimque aggredientes illam picturam exhibere sibi persuasit. Pauca iam mihi liceat de hac pictura disserere et, quamvis a praeceptoris praestantissimi et carissimi discedere opinione dubitanter sane et cunctanter decreverim, illam viam, quam aperuit Caroli Robert sagacitas et literarum monumentorumque doctrina, ingresso aliam quandam interpretandi rationem in medium proferre.

Si duas partes, quae hanc constituunt picturam, accurate

---

[46]) εἰς τὸ ὀλίγον codd. corr. Reiske.

[47]) Comm. mythogr. Ind. schol. Gryphisw. hib. a. 1886/87 ins. p. 3 sq.

[48]) cf. schol. Eur. Troad. 821, Or. 1392 (fr. 6 Kinkel).

[49]) Wilamowitz, Hom. Unters. p. 152.

oculis examinaverimus, non poterimus dubitare, quin arte cohaereant nec separatim interpretandae sint. Id contra Eduardum Gerhard Ottoni Jahn est concedendum. Nam extrema illa figura, quae se convertit manum galeae imponens, hanc continuationem et perpetuitatem satis manifesto declarat, et mea quidem sententia etiam Telephi figura manum porrigendo idem ostendit. Num igitur, ut vult Robert, ludentes coniunctionem duarum partium huius picturae efficiunt, ut eosdem utrimque adoriantur sex illi homines? Si ita esset, motus ille timorem[50]) vel luctum[51]) vel admirationem[52]) indicans, quem extrema alterius seriei figura exhibet, nullo modo ipsa pictura explicari posset. Telephi quoque motus manum porrigendi non minus quam nuditas et ipsius et pueri equo vehentis ab illa interpretatione abhorrent. Indicat enim ille motus manus vel auxilium implorantis[53]) vel nuntium ferentis[54]) vel omnino adloquentis semper, ni fallor, motum quendam animi.[55]) Ergo si considerabimus et duos homines nudos a viro omnibus armis ornato premi et hunc metu captum oculos retorquere primumque eorum qui in periculo sint, adloqui quosdam vel potius auxilium implorare, necessario erit concludendum eos, qui timorem aut spem illis iniciant, hos esse alterius partis tres armatos homines celerrime adpropinquantes. Hoc constituto, restat nobis, ut de duabus, quae sub ansis positae sunt, picturis nonulla dicamus. Altera nulla explicatione indiget, quod Scaea porta locum et regionem indicari luce est clarius. Latrunculis autem ludentes quid in hoc rerum contextu facere existimabimus? Idem, ni fallor, quod Scaea porta, cui respondent: ut illa Troiam, ita hi castra Graecorum significant. Ergo inter Troiam et Graecorum castra res, quas hic depictas videmus, geri cogitatione nobis est fingendum. Dicat

---

[50]) Mon. dell' Inst. I: 34.

[51]) Berlin no. 1819

[52]) München 404 = Overbeck l. l. XX: 3, Wiener Vorlegebl. V: t. 3, t. 7.

[53]) Gerhard, Auserles. Vasenb. III: 159; 180, 181; Mon. dell' Inst. X: 54; XI: 40; XII: 9; 15; 16.

[54]) Gerhard l. l. III: 178, 179.

[55]) Gerhard l. l. II: 84, 85; 122, 123; 132, 133; 139; Mon. X: 4, 5; XI: 20.

quispiam: quomodo fieri potest, ut castra Graecorum inter Troianos, quos Graeci vel potius Graecus persequatur, et eos, qui subsidium illis ferant, sita sint? Recte moneret, si ad pateram ornandam illa pictura ficta et composita esset. Quod tamen nego verisimile esse. Invenit sine dubio hanc imaginem paterae pictor inter exempla, quae imitabatur, ita compositam, ut porta Scaea et ludentes illi eam includerent. Cum autem paterae formae hanc compositionem adaptaret et in orbem redigeret, extremas illas figuras inter medias res collocari necesse fuit, sub ansisque eas posuit, quae, ut fines paterae indicarent, forma et situ essent maxime idoneae. Ut tamen inter duo dimidia imaginis suae nexum quendam et vinculum institueret, quo unam esse hanc picturam primo obtutu aspicientes viderent, illum Graecum persequentem ita eum mutasse probabile est, ut terrore respicientem faceret portam, ex qua hostes exissent vel exirent. Hunc motum non ipsi huius imaginis auctori, sed ei, qui pateram figuris pictis adornavit, esse tribuendum vel ex eo vides, quod, ut illud terroris signum efficere possit ille Graecus, et telum et clipeum laeva tenet, quod valde molestum et persequenti minime aptum esse apparet.

Ita hac pictura explicata, iam restat, ut quod facinus ex heroum desumptum fabulis hic depictum sit, indagemus. Nomina enim, quae adpicta sunt, ad fabularem historiam nos deducunt. Hector et porta Scaea Troianas res indicant, homines autem tesseris vel latrunculis ludentes Graecorum castra significant. Quod Telephum inter Troianos videmus, nihil habet, quod nos offendere oporteat, ut iam supra demonstratum est. Quis est autem puer ille, equo insidens, qui eum sequitur? Troilus nimirum, quem Achilles insectatur, quod facinus a vasorum pictoribus saepissime tractatum esse constat.[56]) In illis tamen picturis Polyxena Troilum comitatur eundem, quem hic Telephus, picturae occupans locum. Hoc Achillis facinus in Cypriis commemoratum esse Proclus memoriae prodidit. Inter multas enim

[56]) Jahn, Telephos u. Troilos p. 67 sqq.; Welcker Ann. dell' Inst. 1850 p. 66 sqq. = Alte Denkmäler V: p. 439 sqq.; Overbeck, l. l. p. 344 sqq.; Schreiber, Ann. 1875 p. 188 sqq.; Klein, Euphronios p. 227 sqq.; Schneider, l. l. p. 121 sqq.

Achillis res gestas, quas enarrat, haec etiam est: καὶ Τρωΐλον φονεύει. Ergo Troili mortem exhibentes illas picturas e Cypriorum versibus fluxisse apparet. Num hanc quoque, quam nunc tractamus, ad eundem fontem referri oportet? Nullo modo hoc probari posse credo, propterea quod in Cypriis Telephus iam ante Graecorum ad Troias adventum rex fuit Teuthraniae et cum iis apud Caicum pugnavit. Quo proelio ab Achille vulneratus Argos venit et, cum ab eodem sanatus esset, Graecis Troiam petentibus viam demonstravit. Itaque haudquaquam veri simile est eum contra Graecos secundum Cypriorum auctorem ad Troiam pugnasse.

Sed aliud est carmen antiquissimum, in quo Telephum partes quasdam egisse suspicandum sit. Ut iam supra vidimus, Ernestus Maas Iliadis parvae auctorem illam de Telepho Troiae educato famam secutum esse demonstravit, quo concesso eum inter socios Priami quocum etiam affinitatis vinculo coniunctus sit, ab hoc poeta relatum esse suspiceris. At parvam Iliadem ab armorum iudicio demum initium capere, Proclo auctore, constat. Contra opinionem autem eorum, qui cyclica carmina non plura continuisse, quam quae nobis narrat Proclus, existimaverunt, iam Carolus Odofridus Müller (Kleine deutsche Schriften I: p. 400 sqq.) disputans contendit haudquaquam veri simile esse carmina illa cycli epici continuam fabularum seriem inde a deorum cum Titanis bello usque ad caedem Ulixis effecisse. Quam sententiam ut confirmaret, scholiastam ad Pindari Isthm. III: 58 adhibuit, armorum certamen et Aiacis voluntariam necem in Aethiopide narrata fuisse testantem. De Iliade autem parva verba faciens, si Aethiopidem modo continuasset, ab illis verbis in Pseudo-Herodoti vita Homeri servatis:

Ἴλιον ἀείδω καὶ Δαρδανίην εὔπωλον,
ἧς πέρι πολλὰ πάθον Δαναοὶ θεράποντες Ἄρηος.

non initium habiturum fuisse hoc carmen demonstravit, et De arte poetica libri cap. 23 nos docere hoc carmen etiam Ilii eversionem comprehendisse ostendit. Hanc Caroli Müller opinionem Theodorus Schreiber[57]), Adolphus Michaelis[58]), Ricardus Förster[59]), qui Paus. X:

[57]) Hermes X (1876) p. 305.
[58]) Hermes XIV (1879) p. 481 sqq.
[59]) Hermes XVII (1882) p. 194 n. 1.

25—27 adhibuit, Georgius Wissowa[60]) amplexi sunt et novis rationibus stabiliverunt. Recentissimus Otto Schroeder[61]) scholiasta Pindari Nem. VI: 85 teste huius sententiae usus est, qui postquam Memnonis mortem exposuit, hoc modo pergit: μετάγουσι δὲ τὴν ἱστορίαν ἀπὸ τῆς Λέσχου μικρᾶς Ἰλιάδος.[62])

Itaque Procli excerpta nihil nos impediunt, quominus ad Iliadis parvae narrationem hanc picturam, de qua agimus, referamus. Videamus nunc, num quae argumenta hanc suspicionem confirment. Concedam certi nihil in hac re nos scire posse, quod fragmenta illius carminis tam parva et exigua sunt. Tamen liceat mihi ea conferre, quae me ad illam coniecturam proponendam commoverunt. In parva Iliade Telephi mortem traditam esse veri simile est, quoniam Eurypylum, filium eius, ad Troiam dimicantem et a Neoptolemo occisum in hoc carmine celebratum fuisse scimus,[63]) neque epicorum fuit mos filium, patre vivente et florente, in res et pugnas inducendi. Hic a Neoptolemo interemptus est; ab Achille igitur necatum esse patrem, ni fallor, statuendum nobis est, si illum a Friderico G. Welcker[64]) iam observatum epicorum morem res gestas et fata filiorum paternis adcommodandi ad hunc etiam poetam pertinere credamus. In parva Iliade, cuius auctoris studium novandi maximum fuit, Troilum non initio belli, sed post Hectoris demum mortem cecidisse Carolus Robert suspicatus est,[65]) illam a Plauto[66]) et ab Ausonio[67]), epigramma quoddam in πέπλον receptum exprimente, ut de Dictyis[68]) et Daretis[69]) narrationibus taceam,[70]) de Troili morte traditam famam huic poemati vel lyricis attribuens.

Sed ad vasculi nostri imaginem et figuras redeundum est. Non Troili hic mortem, sed Telephi esse significatam credo. Nam

---

[60]) Hermes XIX (1884) p. 205 sqq.

[61]) Hermes XX (1885) p. 494.

[62]) cf. etiam Wilamowitz, Hom. Unters. p. 330 sq.; Robert, Bild u. Lied p. 126 n. 60.

[63]) Procl. (Cod. Marc. 454 fol. 6r.), Paus. III: 26, 9 (fr. 7 K).

[64]) Aeschyl. Trilogie p. 461, Ann. dell' Instit. V: (1833) p. 254.

[65]) Bild u. Lied p. 126 n. 60. [66]) Bacch. v. 954.

[67]) Epit. her. 18. [68]) IV: 9. [69]) v. v. 29—33.

[70]) cf. Kiessling, Analecta Plautina in Ind. schol. Gryphisw. aest. 1878.

Telephum principem esse, quem ut consequatur, maxime studeat ille, qui persequitur, eo demonstratur, quod nomine insignis factus est sicut inter Troianos, qui auxilium ferunt, Hector distinguitur. Ut hoc magis etiam artifex exprimeret, Troilum nullum terroris signum edentem, Telephum autem velocissime currentem manum porrigendo subsidium invocantem fecit. Plus forlasse hic video quam voluit significare pictor ipse. Sed facere non possum, quin Telephi currendi modus, praesertim cum Achillis cursu comparanti, mirabilis et novus mihi videatur. Quam ob rem vulnere illo, quod secundum Cypria ab Achille sanatum esse constat, hic vexatum et impeditum Telephum esse artificem ostendere voluisse mea est opinio. Nam si vasorum picturas, quae currentes exhibent, contemplabimur, e gr. Gerhard Auserl. Vasenb. II: 91; 94; 122; 136; III: 167; 178; 179; 180, 181, discrimen quoddam mea hac coniectura optime explicatum intelligemus inter hunc Telephi cursum interesse et eos, quos exhibent exempla allata.

Dicat quispiam illos Troianos, qui adcurrant, eo modo, quo adpropinquent, prodere clam et inopinato obrepere quibusdam se in animo habere. Quod ita esse infitior eo. Saepissimo enim illud currendi genus in vasis potissimum antiquioribus, quae nigris figuris et rubris duro, quod vocatur, genere ornantur, reperias, cum nulla obrependi vel furtim accedendi significatio illis figuris insit. Est hic modus cursum depingendi et fingendi vetustae duritatis reliquum vestigium, quam ubique in artis antiquissimae figuris nvenimus inde ab illo Hercule Centauros sagittis premente laminae aere factae impresso, quae Olympiae Germanorum opera reperta est[71]), et illo Artemidis signo Deli a Gallis effosso[72]) usque ad has quinti saeculi picturas vasculorum.

Itaque, ut ad Telephum redeamus, illo vulnere currendi modo indicato, quo fugiens nimirum impediatur, eum persequenti succumbere artificem declarare voluisse credo. Sed, ut iam dixi, nescio an maiore studio, quam par est, ex rebus, quae forsitan nullius sint momenti, quae cum mea sententia congruant, interpretando eruere conatus sim. De hac re tamen alii videant.

71) Ausgrab. zu Olympia IV: 20.

72) Bull. de Corresp. Hell. III: t. 6, p. 99 sqq.

Iam paucis mihi liceat interpretationem meam repetere. Telephus, qui secundum Iliadem parvam Priami fuit gener, et Troilus, uxoris frater, quocum una in aula Priami illum educatum fuisse hoc carmen narrasse verisimile est equo insidens, coronati, telo solo armati,[73]) ut exercitationem facerent, ex urbe egressi sunt. In his occupatos Achilles imprudentes adoritur, qui in Cypriis Troilo eodem modo, si monumentis artis credimus, puteo occultus, insidiatur, fugientes persequitur. Quanto in periculo amici versentur cum Troiani animadverterint, Hectore duce auxilium ferentes celerrime adcurrunt. Quos Achilles non sine timore videt sibi uni tam multos incurrere. Telephus, spe salutis elatus, ut vulneris quoque obliviscatur, manu porrecta amicos magna voce inclamat. Ad hanc interpretationem verba illa a Guilelmo Klein de castrorum Graecorum subita incursione usurpata, quae iam attuli, etiam melius pertinere puto: „Die dichterische Erfindung dieser wirkungsvollen Situation mit ihrem jähen Wechsel vom Idyll zur höchsten dramatischen Energie ist ein Meisterstück, dem aus unseren Resten der cyklischen Poesie nicht allzuviel an die Seite zu stellen ist.“

---

[73]) Nam Troilum quoque telum habuisse, quod aut tempore evanuerit aut a descriptore non visum sit, dextrae collocatione indicari mihi persuasi. Haec amico meo Joanni de Fritze debeo.

Berliner Buchdruckerei, Actien-Gesellschaft, Setzerinnenschule des Lette-Vereins